
CENTRALE V. E. II


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 K
44




HIERONY. ANGERIANI NEAPOLITANI

ερωτοπαιγνιον




ECLOGAE.
DE OBITV LYDAE.
DE VERO POETA.
DE PARTHENOPE.






HIERONY. ANGERIANI NEAPOLITANI AD CAELIAM ερωτοπαίγνιον



Munera si nequeo tibi mittere magna, libellum
Hunc paruum, & nugas (ut queo) mitto meas.
At si laudanda complectitur uoce libellus
Hic paruus, certe munera magna capis.
Deficiunt uestes, argentum, & iaspis, & aurum,
Sed non ingenua carmina scripta manu.
Sint quæcunq; tamen quæ trado, suscipe, sæpe
Vilibus ornatur frondibus ara deum.
Suscipe, cor trado, & mentem cum corde, meumq;
Trado animum hic animi picta figura mei.
Et maiora meres, nosco, si cernis amorem
O diua, immensi pignus amoris habes.



AD CVPIDINEM.

Omnia Pan uicit, uicisti Pana Cupido,
Vincar ego, quid agam? Pan tibi cedit, amem.

DE SEIPSO.

Aonium ut fierem uates haurire liquorem
Optabam, & lauri nectere fronde caput.
Accessi ad fontes, uidit me Phœbus ab alto
Culmine, quæ poscis dona negantur, ait.

Eiectus fleui, tandem miserata labores
Alma Venus, paphias, i, bibe dixit, aquas.
Accessi, & sitiens absorpsi mixta uenenis
Pocula, & ignifero mersus in amne fui.
Nunc hæc pœna mihi, nam dicere cogor amores,
Non carmen, fati cantor & esse mei.

DE CAELIA ET AMORE.

Lassatus cursu, & quærens requiescere, pulchræ
Virginis in gremium candidus ibat amor.
Illa exscandescit tanquam notus imbribus actus,
Tanquam in uesano nigra procella mari.
Excutit hunc totis manibus, proclamat, & obstat,
Pollueret castos ne sibi flamma sinus.
Cur ita trudor? ait deus, admiratur, at illa
Illa inquit, non sum Cælia nota tibi?
Vt pede qui pressit colubrum, post horret, abitq;,
Sic miser audito hoc nomine fugit amor.
Et fugiens dixit, fugienti parce, parentem
Credideram, non te, tu mihi uisa parens.

AD CAELIAM.

Non ego turbati crescentia nubila cœli,
Non uereor fluctus atra procella tuos.
Non mare quum sæuit uentis, non grandinis ictus,
Non dura imperio fulmina missa Iouis.

Non pestes, morbosq; graues, non plena cicutis
Pocula, non colubri dira uenena trucis.
Non subitos terræ motus, non horrida Martis
Prælia, non casus sors male fida tuos.
Non rapidos ignes, non mortis tela recurua,
Non stygа, non terno qui uorat ore canem.
Nil hæc, at solum uereor te Cælia, solum
Tu potis es uitam, & tradere fata mihi.

DE SVA EFFIGIE.

Vera mei effigies hæc uultus, deficit una
uita hic, quum picta est, non ego uiuus eram.

DE FORMA ET SAPIENTIA DIALOGVS.

Forma quid est? decor almus, uiuax gratia, gratus
Per iusta admixtus membra colore fauor.
Quæ soror huic? soror huic felix sapientia, at illa
Gressum oculo, hæc animo præbet, utriq; fauor.
Cur illam sequimur? iacet altera pressa? siletq;?
Hæc riget, & cultum negligit, illa nitet.
Grato illa, & dulci procedit, & ore nitenti.
Hæc incompositis stat pudibunda comis.
Quare illa inflammat? uiuos quia uisa per artus
Influit, & radijs cor bibit omne suis.
Quæ formosa magis? refer hoc, magis illa, magisq;

Allicit, illato lumine cuncta beat.
Quae plus in pretio? pretiosior illa metallo
Illa omni, sacrum, respice, numen habet.
Cur illa ardenti ceu flos aestate fatiscens
Praefertur? grauis haec delitet, illa patet.
Hoc quod cernit amat quisquam, miratur & illud.
Hinc ueniunt chartis quae modo texo meis.
Quid tunc Pallas erat? uis & Iunonia? malum
Quum tulit a pulchro iudice laeta Venus?
Quid ni forma fuit? per quam tot funera troes
Acciperent? per quam graecia moesta foret?
Hyperides sileat, potuit sua pectora phryne
Denudans rigidi flectere iura fori.
Et gorgo attonitos in marmora uertit amantes.
Vicit & attonitos Hippodamia duces.
Non mirum ergo meos si Caelia flexit ocellos.
Digna est illa homines, digna mouere deos.

DE CAELIA.

Sunt geminae ueneres, musae bisquinq;, Dianae
Et geminae, pulchrae quattuor & charites.
Omnibus in rebus Venus est mea Caelia, Musa
Docta, Diana nitens, & sine labe Charis.

DE CAELIA ET AMORE.

Cælia fatur, amor fatur, sua lumina pandit
Cælia, purpureus lumina pandit amor.
Cælia dormit, amor dormit, stat Cælia sola.
Solus amor, ridet Cælia, ridet amor.
Cælia plaudit, amor plaudit, dat Cælia cantus,
Cantat amor, plorat Cælia, plorat amor.
Cælia plectra manu tractat, sua plectra decorus
Tractat amor, uadit cælia, uadit amor.
Quodcunq; illa facit, facit hic, tamen ordine in uno
hoc uariant, sæua est cælia, mitis amor.

AD ROSAM:

Pulchra breui duras rosa tempore, forma breuiq;
Tempore, sic formæ par rosa tempus habes.

AD CAELIAM.

Cernentes superi qualis non amplius unquam
Visa fuit formam diua puella tuam.
Illorum unus ait, cur olim maximus arsit?
Nunc friget: tanto nec calet igne deus?
Europæ, & Danaes, & Ledæ uincit honores,
Et nihil hac toto fulget in orbe magis.
Dixit amor, uerum, sed prisco tempore nulla
Virgo fuit dura, hæc dura, superba, ferox.

AD CAELIAM

Attollis cœlo si lumina, sydera gaudent.
Si terræ affigis lumina, terra calet.
Fronte Venus fulget, si claudis lumina, nudus,
Lumina si pandis, cum face sæuit amor.
Lumina si cælas, mœret sine sydere cœlum,
Terra calore, Venus fronte, Cupido face.

DE SEIPSO DIALOGVS.

Quid quæris? quo tendis iners? quo uota feruntur?
Dic, cupis auratos forsan habere lares?
Hoc alij poscant, uis culti iugera campi?
An regum solium? pontificumq; toros?
Infelix quicunq; cupit, quodcunq; sub undis
Hermus habet teneam, quæ mihi tuta quies?
Irus inops essem, quamuis immensa tenerem
Imperia, aut gazas Crœse superbe tuas.
Nudus in has ueni terras, & nudus abibo.
Hinc mea sollicito uita labore caret.
Hinc pello curas, & lætam duco iuuentam.
Hinc sperno quicquid diues auarus habet.
Nil ergo exoptas? exopto ut diligat illa
Me totum &, dulci simus uterq; toro.

DE CAELIA.

Stabat amor, stabat mea Cælia, uterq; fauillas
In me uertebant, hic face, & illa oculis.

Victus eram, uictus, quum fallax ore rubenti
Dixit amor, iaculis da tua corda meis.
Te te redde mihi, dixi, me reddo puellæ,
Non tibi, tu sæua cuspide regna tenes.
Illa meis ornet spolijs sua templa, grauiq;
Illius ante pedes compede uinctus eam.
Hæc simul ut fudi trepidanti pectore uerba,
Alligor, atq; libens do mea colla iugo.
Quis credet fronti? uisa est tunc mitis, at illa
Illa magis fœta tygride sæua fuit.

AMOR MARMOREVS

Quid spectatis? amor sum saxeus, armaq; fictus
Ficta gero, uiuens Cælia uerus amor.

AD CAELIAM.

Vt grex porcorum morti seruamur, & hora
Crastina quid tradet dicere nemo potest.
Hoc cuiquam notum cum sit, uiuamus, & omnis
Apposito fugiat cura, dolorq; mero.
Res alias fortuna regat, fortuna beatum
Me faciet, si tu Cælia diua uoles.

AD EANDEM.

Cælia cui tantum tribuit natura, polusq;

Sit minor ingenio ut fœmina, uirq; tuo.
Cælia formosis forma præstante deabus.
Moribus & priscis anteferenda uiris.
Cælia pierias inter ueneranda sorores
Arte tua, & dulci uerba sonante lyra.
Omnia sub cœlo quæ sunt tibi Cælia cedunt
Ingenio, forma, moribus, arte, lyra.

DE STATVA EIVSDEM.


Dum niueo ducit raram de marmore formam
Sculptor, & eximiæ perficit artis opus.
Vera hæc effigies quidam inquit, & illius hic stat
Flatilis in uenis spiritus, ora mouet.
Hæc ferit, illa ferit, surdis hæc auribus, illa
Auribus & surdis, hæc riget, illa riget.
Hæc alba, illa alba, hæc magis est crudelis, & illa
Crudelis magis est, hæc silet, illa silet.
Hæc glacialis hyems friget, glacialis & illa
Friget hyems, lapis hæc sculptus, & illa lapis:
Sed non æquales sunt una parte, ꝙ illa
Illa magis uento mobilis, hæc stabilis:

DE CAELIA ET AMORE:

Ibat uenatum in sylvas, telumq; gerebat
Cælia, & alipedi maxima stabat equo:

Obuius it uolucris puer illi, telaq; uibrans
  Certemus, fatur, dum geris arma simul.
Cælia sed tenerum ridens ait, arma gerentem
  Stulte petis? non te uici ego inermis? abi.

DE CAELIA.



Quum uenerem aspicerẽ sine flammis, accipe, dixi,
  De nostro flammam pectore, at illa mihi.
Sunt uersa in cineres tua pectora, si uolo flammam:
  Dat flammam ex oculis Cælia, & uro deos.

AD CAELIAM.

Quid mihi barbaricæ si miscent prælia turmæ?
  Mœret & ereptis ausonis ora bonis?
Quid mihi si dira descendunt grandine nimbi?
  Vstulat & cultos syrius acer agros?
Quid mihi si pereunt homines? armenta? gregesq;?
  Insidet & siccis faucibus atra fames?
Quid mihi si regnant reges? laudantur & ipsi?
  Vendit & elatos purpura lata duces?
Quid mihi si totus cum terra corruit æther?
  Sorbet & erectas mobilis unda domos?
Hæc mihi cura, rosis, & cingere tempora myrto,
  Et curas multo dilapidare mero.
Hæc mihi cura, comas, & barbam tingere succo
  Assyrio, & dulces continuare iocos.

Hæc mihi cura, dies albo numerare lapillo.
Lassaq; composito membra fouere toro.
Hæc mihi cura, nouem cantu celebrare sorores,
[illegible]iter & curuæ plectra mouere lyræ.
Hæc mihi cura tuas tibi semper dicere laudes
O diua, & uultus semper amare tuos.

AD CVPIDINEM.

Es deus, ambobus si æquales dirigis arcus,
Non deus es, solum pars mea uulnus habet.

DE CAELIA.

Publica quum fierent spectacula, tela proteruus
Exercebat amor, & Venus alma faces.
Diuersæ hic uoces, diuersa hic lumina, at una
Vna est ut celebri uisa puella choro.
Omnibus una fuit uox, & fuit omnibus unum
Lumen, cum matre est factus inermis amor.

DE LIBELLI QVERELA.

Quæ te dira premit toties? & uexat Erinnys?
Non ne pudet quæ sunt ore tacenda loqui?
Vera putat populus, nam stultos esse poetas
Inquit, ego testis sum modo, stulta facis.
Et scribis, deles, & deles, scribis, & illa

Quæ seruas, non sunt carmina digna legi.
Nescis quicquid agis, nescis, sic labitur æuum.
Sic manet in nullo mens tua firma gradu.
Iure queror, ferior cultro, feriorq; lituris,
Et patior calamo uulnera mille tuo.
Non curas (uideo) quid sit dementia, sed te
Delectat præceps & sine mente furor.
Hoc solum doleo, claras si mittar in auras,
Quid dicam? siquis tam mala uerba leget.
Non meus hic error, clara tua uoce fatebor
Crimina, nam uenient in caput illa tuum.
Clamabo in triuijs, uellem nunc posse placere,
O nequeo, insanus talia scripsit amans.

DE CAELIA, APE, ET AMORE.

Lassa quiescebat prope murmura fontis amœni
Cælia, ubi uario flore nitebat humus.
Mellificans it apes, & circum roscida labra
Dum uolat, in terram sæpe repulsa cadit.
Iam moritur, sed ait moriens, flos qualis in aruis
Nascitur, ex flore hoc q̃ mihi dulce mori.
Hæc ut dixit, amor tumulum de cespite fecit,
Atq; illi tumulo hæc carmina pauca dedit.
Ambiguum est, an apes sit dulci mortua labro,
An dulci flatu mortua, utroq; fuit.

AD CAELIAM.

In crine accēdens amor est intextus, amœnis
Enitet in labris, frontéq; dulcis amor.
In pulchris stat amor manibus, stat pectore in albo,
Quum cantas, doctis cantibus exit amor.
Aglomeratur amor pedibus, quum uadis, ubiq;
Vt seruus dominam te comitatur amor.
Non unum ergo tenes, sed mille in corpore amores,
Quicquid habes, amor est, o dea, quicquid agis.

DE CAELIA.

Fulgida quum legeret cumano in littore conchas
Cælia, fallor an hæc cypria? dixit amor.
Non fallor, sic pulchra nitet mea mater, & alba
Sic flauas ornat spuma, politq; comas.
Sic ridet, quæritq; iocos, sic pictus eburno
Cestus adest collo, sic mouet arte manus.
Fallor iners, hæc pulchra magis, non fallor, euntes
Tres uideo ancillas, autumo, sunt charites.
Assistit scopulis, & peto lumine, peto
Lumine commotas en maris æquat aquas.
Heu fallor, non illa cremat sic ore, rigentes
Diua sed hæc cautes, & cremat ore fretum.

AD CAELIAM.

Ne peream auertis tua lumina, falleris, illis
Viuo magis, perimunt lumina? Sic peream.

DE VENERE ET CVPIDINE.

In silua dum pulchra Venus spaciatur arena,
Et pelagi spectat maxima regna sui.
Venit amor, sumpsitq; facem, fax missa per auras
Vssit acidaliæ mollia corda deæ.
Nouit ut illa sui rutilantia spicula nati
Vociferat, quid me nate proterue cremas?
Palluit audito matris clamore Cupido,
Atq; sibi ut silices obriguere comæ.
Flens tandem dixit, non est tibi Cælia dispar,
Hanc uolui, non te (parce) ferire deam.

DE CAELIAE PICTVRA.

Aspiciens pictam in tabula se Cælia, sollers
pictor ubi nudam me modo uidit? ait.
Inquam ego, non nudam uidit te pictor, amantis
Hic anima, hoc anima uiuit amantis opus.

DE SEIPSO ET CORDE DIALOGVS

Quid cor iners agis hic? ploro, cur deseris illam
Sic plorans? nequeo frigora tanta pati.
Vnde hoc frigus habes? nix illo in pectore, durum
Atq; gelu, membris restituare meis.
Tu peior domina, nolo, feruoribus ardes.
Vrerer, in membris stat grauis ætna tuis.

Verum sed si corde uaco, dilabar in umbras
  Mortis, & in tenebris me teget atra dies.
Iam pridem ipse peris, quum te mea liquit inanem
  Gratia, tunc mota ex corpore uita fuit.
Nūc nisi paruus ades pulnis, nisi somnus, & umbra.
  Et quamuis uadas tu pede, luce cares.
Iungare o calidis his fibris, forsitan auram
  Vitalem accipiam, me quoq; parca premit.
Non possum. sed erit qui nos curabit, & urnam
  Tradet, & hæc cernet uerba uiator ibi.
Quos nequijt uiuos simul addere uita, sepulchrum
  Addit, obit nunc cor, sed face cordis herus.

DE CAELIA.

In me quum rueret facibus præcinctus, & arcu
  Fortis amor, dixi, sum sine corde, uale.
Non possum extingui, tota est mea uita sub illa,
  Illa ferox animum sustulit, illa tenet.
Conuolat iratus, sed pulchra ut lumina uidit,
  Hoc tibi habe sceptrum Cælia, uincor, ait.

DE SPE

Ludificat uitam spes longa, nec exhibet ulli
  Quicqnam homini, ut speres mors inopina uetat.

AD CAELIAM.

Viuebam, nunc dispereo, qui spiritus artus
R exerat hos, sedes incolit ille alias.
Si uis in terris ut uiuam, redde mihi illum,
Et si non illum redde tuam (oro) animam.
Sic mihi me reddes, sic te tibi Cælia reddes.
Ambo sic parili iuncti in amore erimus.
At si dura manes, nec gaudes, perdis utrunq;,
Me quia amo nimium, te quia amas nihilum.
Et quanto est odijs amor excellentior, ipsa
Tanto interfecto crimen amante facis.

DE VENERE ET CVPIDINE.

Omne olim cælum (ut fertur) cælum omne ruebat
Inter se superi dum fera bella gerunt.
Fortis erat Bromius thyrso, Mars ense, tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Iouis:
At quum uisus amor fuit in fulgentibus armis.
Nec non accensa lampade pulchra Venus.
Priuatur thyrso Bromius, Mars ense, tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Iouis.

AD IMAGINEM SVAM.

Quis mihi te similem sic fecit dulcis imago?
Quam uere uultus exprimis ipsa meos.
Tu palles, me pallor habet, tu lumine cæco,
Cæcus ego, nulla heu mens tibi, nulla mihi.

Vita tuos artus, & nostros uita reliquit.
Muta taces, muta est hæc mea lingua, tacet.
Tu sine corde manes, maneo sine corde, moraris
Hic sola, hic solus nocte, dieq; moror.
Membra geris tenui, & fragili contexta papyro.
In tenui & fragili cortice figor inops.
Nil nisi uana mei tu corporis umbra, uel aura.
Corporibus par est umbra, uel aura meis.
Non multo duras tu tempore, tempore multo
Non duro, fies tu cinis, ipse cinis.
Ambo pares, at læta magis tu degis, amorem
Non sentis, miserum me facit asper amor:

AD CAELIAM.

Numen habet Pallas uirtute, & robore Iuno,
Diana & casto corde, decore Venus.
Cur uirtute nitens, & robore, cordeq; casto,
Atq; decore, cares numine? sæua manes.

DE SEIPSO ET ANV DIALOGVS.

Consule quid faciam, flammis exuror, & illa,
Illaq; stat duro marmore dura magis.
Consulo, funde preces, sis illi blandus, ubiq;
Fundo preces, illi blandior, usq; fugit.
Tange chelym digitis, & neruis dulcia necte

Carmina, nil prosunt carmina, nilq; chelys.
Te mitem ostendas, gemitus exprome, tuosq;
Fletus, his gaudet sæpe cupido malis.
Me mitem ostendo, gemitus ex pectore promo.
Sunt fletus fluuij lumina, spernor amans.
Mitte potens aurum, sum pauper, pauper & auro
Frangitur, hæc regum munera diues habet.
Tam magnum ieiuna fames delebit amorem.
Nulla fames, tempus, tempore maior erit.
Si non ista iuuant, laqueo da colla, moraris
Quid miser? hæc flammis sola medela tuis.

AD CAELIAM.

Sæuis, nosco, noces, & quantum sæua, nocensq;
Me pellis, tantum pulchra, & honesta trahis.

DE CAELIAE DVRICIE

Sunt duri scopuli, sunt dura & mormora, durum
Et ferrum, in summis robora dura iugis.
Sunt duræ rupes, sunt antra, & cornua dura,
Atq; adamas durus, durum hyemale gelu.
Durior at scopulis mea Cælia, marmore, ferro,
Robore, rupe, antro, cornu, adamante, gelu.

DE SEIPSO ET CVPIDINE DIALOGVS.

Quid nunc blande puer cessas? & frigore torpes?
Suscipe de pharetris aurea dona tuis.
Quid blandus uocitor? si frigens torpeo? & aurum
Quid petis a misero? corpora nuda uides.
Dum sedet in molli prato, & desyderat auram
Saepe mouens flabrum Caelia, mitte faces.
Non utor facibus, periit mea gloria, quondam
Diues eram, sed nunc (aspice) pauper amo.
Quae te res inopem? quae te res fecit inermem?
Quae tenet in niuea flabra decora manu.
Quid uideo infelix, quid sentio, turbor, & angor,
Et miror, tantum cur patrat una scelus.
Ne mirere, oculis, oculis ualet una decoris,
Alliget ut cuiuis fortia colla deo.
Expertus loquor hoc, haerent conuersa medullis
Arma meis, illi quum iacit arma manus.
Quare age non nudo flammas, aut quaere sagittas,
Illa illa imperium, & numen amoris habet.

DE CAELIAE FVRTO.

Quum dormiret amor, rapuit clā pulchra pharetrā
Caelia, surrepta fleuit amor pharetra.
Noli cypris ait sic flere Cupido, pharetram
pulchra tibi rapuit Caelia, restituet.
Non opus est illi calamis, non ignibus, urit
Voce, manu, gressu, pectore, fronte, oculis.

Quid pingis pictor? uolucrē non cernis amorem?
Hic amor? hoc nullus maior in orbe deus.
Falleris ardentes tua spongia deleat ignes.
Deleat & pharetram. quid nisi monstra facis?
Non opus est arcu, non armis, corpora parua
Non habet hic, nec habet tela, facesq; manu.
Non sic nudus abit, niueas neq; commonet alas,
Non stat sic alacri flammeus ore color.
Quo pacto est (dicas) pingendum numen amoris?
Nuda hic pingatur Cælia. pictus erit.

AD CAELIAM.

Nunc reliquam degis uitam, quæ uita recessit
D sinit esse, hodie quæ uiget, illa tua.

AD CAELIAM.

Dum cernit nitida sese Narcissus in unda,
Et perit, in florem labitur omne decus.
Sæpe illum in pratis pueri, & legere puellæ
Texentes pexis florida serta comis.
Dum pressat disci moles onerosa Hyacinthum.
Quæsitus Phœbo flos tener hæsit humo.
Ille etiam rabies apri quem dira furentis
Pressit, Acidalium per nemus omne rubet.

Tu quia nec flammas nosti, neq; dulcis amoris
  Præmia, eris duro in marmore dura silex.

AD CAELIAM.

Quid facit argentum preciosa in ueste? uel aurum?
  Aut color? ut corpus contegat illa datur.
Ex ebore albenti quid sponda? aut fulcra? quid ipsa
  Stragula picta? struit si leuis herba torum?
Num nisi priscorum historijs uariata nitebunt
  Aulæa, infundet non sua dona sopor?
Ampla quid ex auro rutilant laquearia? & ampla
  Quid sub mygdonio marmore nixa domus?
Si non hæc picei depellunt nubila cœli,
  Nec sedant curas, non satis ima teges?
Ipse sibi qui pondus iners, fulgente uehatur
  Lectica, aut acri conspiciendus equo.
Quid mĕus acer equus? mea quid lectica refulgens?
  Si possum pedibus me modo ferre meis.
Quid quæsitæ epulæ? facili saturabitur esca
  Venter edax, quantum nunc gula sæuit atrox.
Hæc facit æquorea ut pisces capiantur in unda.
  Vtq; cadat duro uulnere fossus aper.
Ambitio infelix permixta cupidine, quæ non
  Cogit inassueto ferre labore mala?
Felices quos turba putat, non credo, sepulchra
  Sunt illi, hæc intus turpia, pulchra foris.
Exiguum non munus adest, ꝙ uino/polumq;


Quod spectо, hoc ipso munere diues amo.

DE AMORE.

Numina cur tot habes genus o mortale deorum?
  Est amor in cunctis rebus ubiq; deus.
Mars hic bella gerens, terras Vulcanus adurens.
  Iuppiter impellens fulmina. solq; die.
Nocte soror solis. curas ex pectore pellens
  Bacchus. & Alcides quum fera mõstra domat:
Quum risus, blandosq; iocos, blandosq; lepores
  Affert, & miscet gaudia, pulchra Venus:
Hermes, quum flectit mentes sermone, quietat
  Quum freta Neptunus. sic deus unus amor.

AD CAELIAM.

Me spectas oculis lasciua iocantibus, inde
  Effugis, & rabida tygride peior ades.
Quum te credo meis manibus retinere, fugaci
  Plus cerua curris, qum timet ora canum.
Si laeta accedis, placida, atq; benigna parumper.
  Quam mihi post multo tempore saeua manes?
Quicunq; aspectat tam rarae praemia formae,
  Inter honoratas te putat esse deas.
Numina sed laedis tua, cum sis impia nobis,
  Vana, fugax, fallax, horrida, dura, leuis.



DE CAELIAE DOTIBVS.

Tres quondam nudas uidit Priameius heros
  Luce deas, uideo tres quoq; luce deas.
Hoc maius, tres uno in corpore, Cælia ridens
  Est Venus, incedens Iuno, Minerua loquens.

DE CAELIAE VVLNERE.

Cælia dum fulgens per florea rura uagatur.
  Sæua manum illius sæua momordit apes.
Vnde has, inquit, habet uolucris tam parua sagittas?
  Illato ut tumeat uulnere nostra manus?
Tunc respondit amor, sum paruus & ipse, tenerq;
  Et iaculis (quæ stant) mollio saxa meis.
Tu paulo maior quid non facis? ore pusillo,
  Atq; oculis, montes, & maris uris aquas.

AD CAELIAM.

Si nimis intueor te Cælia, parce, loquuntur
  Quas patior pœnas lumina, lingua nequit.

DE QVERIMONIA SVA.

Dum canerē, & crebris nequicquam questubus auras
  Implerem incusans terq;, quaterq; deos.
Ex homine in querulam dij me uertere cicadam:

Hinc queror, & uoces ob mea damna fluunt.
Hæc medicina mihi ueniet quum frigidus imber,
Et moriar, stulto in carmine finis erit.
Mentior, hibernus me quamuis opprimat imber,
Atq; cadam, attrito corpore plura querar.

AD CAELIAE PICTVRAM.

Partenopen quum læta suam Venus aduenit, atq;
Vadit olorinis conspicienda rotis.
Gaudet odoriferis hortis, gaudetq; uesæuo,
Quem colit intonsus Bacchus, & alma Ceres:
Et modo sebeti miratur fluminis undas,
Et modo uernantis littora læta maris.
Miratur laudat opus præclaræ molis, & ipsa
Alta ducum, & regum culmina, cuncta probat.
Præterea uidet in tabula te Cælia pictam.
Miratur, Veneri tunc charis una refert.
Quid si non pictos sed uiuos uideris artus?
Quantaq; sit formæ gratia? quantus honos?
Dixeris, humanas præstat uirtute puellas.
Dixeris, æthereas præstat honore deas:
Admirans sine labe nouam Venus alma tabellam.
Telluri & figens lumina, & ore rubens
Dixit, ego nollem tantæ certamina formæ,
Non si sub phrygio iudice causa foret.

DE CAELIAE ROSA:

Puniceum digitis dum uersat Cælia florem,
Figit & in niuco pectore, cypris ait.
Cur mea dona gerit uirgo hæc ingrata? benignam
Suscepit mentem? mitis an ardet amans?
Omniuagas quatiens puer insuperabilis alas
Respondit, nunquam desinet esse ferox.
Et si dona gerat nunc mitia, respice (si uis)
Sunt illa effuso tincta cruore tuo.
Ostendit rixas cruor, & fera prælia, & iras,
Sunt animi signa hæc sanguinolenta feri.
Chare puer rudis es, nec nosti tempora ueris
Mater ait, citius quam notus illa fluunt.
Hic flos lacteolo qui gaudet pectore, uanæ
Significat formæ quam cito munus abit.
Si findit folium, hæc ibi sunt præcepta, puella
Nunc uiue, ut folium sic tua uita meum.

AD CAELIAM.

Fingeret ut sculptor ueros in marmore uultus:
Vultus quærebat posse uidere tuos.
Huic dixi similem uis fingere? finge draconem
Qui teneat sæuis corpora scissa modis.
Finge truces angues, aut nigrum finge uenenum,
Aut mare, quum tumidis exagitatur aquis.
Finge notos rapidos, atq; humida nubila, & arma
Finge Iouis, par his Cælia, sæua magis.
Non id quæro (refert) sed pulchram quæro figuram

Illius, exuperat quæ sine fine deas.
Tunc ego, nil opus est alia tibi imagine, pectus
Hoc aperi, in corde est pulchrior illa meo.

AD AMOREM.

Cur linquis cœlum ob terras? tibi patria cœlum,
In cœlo, non hac pulchra puella magis.

AD IMAGINEM SVAM.

I nunc ad dominam mea imago, nitebis ab omni
Parte quidem: æthereí lux ibi solis adest.
Illa dat, illa aufert animas, illa omnia, tanquam
Immortale sibi numen adesset, agit.
Accelera passus, sed ne discede, priusquam
Non poteris celeres uiua mouere pedes.
Deinde ubi uitali te mutam impleuerit aura,
Succurat domini tunc tibi forma tui.
Dumq; uenit tacitis præceps occasio pennis,
Voce pia quæ sunt uulnera nostra refer.
Forsan fiet amans, & sic mihi parcet amanti,
Et sic ambobus candidus annus erit.
Sed timeo hoc unum, ne, te dum pollice tangit,
Exusta occumbas, simus & ambo pares.

DE ÇAELIA ET AMORE PICTO.

In claro dum se speculo pulcherrima comit
Cælia, ubi pictus cum face stabat amor.
Quis credet? sic inquit amor, sum pictus, at ipsa
Ipsa uidens me nunc Cælia, uerus amor.

AD CAELIAM.

Optarem fieri diues, sic diues ut ille
Crœsus, & immensæ regna tenere Asiæ.
Post cernens hominum casus, & cuncta sub orcum
Ire, quid optando talia discrutior?
Diuitias contemno tuas rex Crœse, tuamq;
Vendo Asiam unguentis, flore, mero, choreis.

DE CAELIA ET SPECVLO.

Colligit in nodum dum pexos Cælia crines
Ad speculum, speculum talia uerba refert.
Quid me tam fixis, fixis miraris ocellis?
Fulgorem superat lux tua clara meum.
Nota loquor, uitrea puer ille uenustus in unda
Conspectus, proprio lumine fata tulit.
Heu quia sæua manes, tibi nec uis parcere, saltem
Parce mihi, tua me scrinia clausa tegant.
Occular aut tenebris, aut totum rumpar, amoris
Non possum ulterius uulnera tanta pati.
Et si non habeam sensum, tua gratia sensum
Exhibet, & calidæ sentio pestis onus.

Dirigis huc quoties spectantia lumina, flammæ
succcendunt inopi saucia membra mihi.
Hic neq; ueridica spectaris imagine, nanq;
Opprimor, & uires non tibi reddo meas.
Si te qualis ades, talem uis nosse? tui nunc
Aspice amatoris corda, ibi imago tua est.

DE SEIPSO & AMORE DIALOG.

Quid me sæue tua laceras cum matre cupido?
Non ego, quid quereris? nec tibi mater obest.
Tu tibi causa mali, uacuo dum pectore molles
Stant curæ, feruens serpit in ossa uapor.
Num frustra cyprin ueteres dixere? puella
Te cremat ignita cuspide, Cypris abest.
Nunquid nullus amor? nullus, sed forma, nitorq;
Pulcher amor, roseæ plena pharetra genæ.
Spicula solares oculi, manus alba fauillæ.
Et risus Charites, uerbaq; ueris opes.
Aurea plectra comæ, tandem ferit illa, tenetq;
Illa arcum, & flammas, nec mihi parcit, amo.
Nil facis ergo? nihil, sed nudus talia pando.
Quid pandis? pulchri Cælia quicquid habet.

D E CAELIA ET PICTORE.

Se nudam aurato dum spectat Cælia panno,
Et picturatum tangere gaudet opus.

Dic ubi me pictor uidisti corpore nudo?
Fatur, ubi candens & sine labe femur?
Dic ubi crura? pedes? mammas? & caetera membra
Quae tam ueridico scripta colore uigent?
Sic pictor. dubitas quid nunc? sum doctus ab illo
Qui tuus est uero corde fidelis amans.
Quo pacto, illa refert, me nudam uidit amator?
Illius ex omni parte fugatur amor?
Tunc pictor. moeror, pallorq; illius, & ardor
Ostendit, quantum sit tua forma decens.
Si sum tam tetrica, & qui me sectantur amantes
Expallent, nitis cur ego pingor? ait.
Cui pictor. placidum facies tua signat amorem,
Quod latet in tacito pectore nemo uidet.
Saeuiciam in pulchris si uis ostendere membris
Pinge superciliis haec fera uerba tuis.
I procul hinc hospes, sum facta saeuior ursa,
Sum lapis, & qui me poscit, inanis erit.

DE AMORIS LAVDIBVS.

In terris quum fulsit amor, cessere tenebrae.
Et magni uisa est semita clara poli.
Tunc cessit torpedo grauis, cessitq; ueternum,
Pestis, & infelix grando, niuisq; furor.
Cesserunt Iouis horrendi uaga fulmina, cessit
Bellorum rabies, & necis atra manus.
Absit amor, surgunt tenebrae, torpedo, ueternum,

Pestes, grando, niues, fulmina, bella, neces.

DE SEIPSO.

Flens ueni in terras, & flens discedo, fuitque
Dum uixi fletus uita, dolor, gemitus.

AD ACANTHIDEM.

Quam bene tu mecum uolucris dulcissima uiuis,
Sat dulce eiusdem sortis habere pares.
Tu fixo in ramis uisco decepta fuisti.
Decepta & uisco præda ego, præda fui.
Tu sola hic, sola, hic ego solus, solus amator.
Vtque abeas, optas. opto ut abire queam.
Tu uiridi pluma, atque innato murice tincta,
Me quoque (si nescis) tingit uterque color.
Spes uiret, ostendit mea murex uulnera, ploras
Tu libertatis tempora, tempus ego.
Te cauea includit lento de uimine texta.
Me claudit sæuo in carcere sæua Venus.
Damnosas querulo mulces modulamine curas,
Heu curas querula mulceo uoce meas.
Spina tibi nomen præbet, mihi spina dolorem
Iniecit lateri, tu gemis, ipse gemo.
Ambo infelices sumus, & sine sensibus ambo.
At tua sors nostra sorte beata magis.
Portio tota tibi cordis, mihi portio nulla

Cordis adest, totum cor laceravit amor.

DE CAELIA.

Nunc ubi Praxiteles? ubi Scopas? priscaq; uirtus
Illorum artificum? cuncta sepulta iacent.
Heu doleo, nostræ quis marmore sculpet in albo
Pectora? quis fulgens lumen? & ora deæ?
Erigere huic statuam, & templum ædificare decebat
Oblatas caperet pro Ioue ut una preces.

DE CAELIA.

Ferrũ flamma domat, silicẽ domat unda, adamantẽ
Sanguis, at hæc ferro durior, & silice
Atq; adamante, meo non igne, fluente nec unda,
Nec misso e uenis sanguine se domuit.

DE SEIPSO ET CAELIA.

Mirabar (memini) miranti Cælia dixit.
Quære alios tibi nunc, quære in amore iocos.
Dum cribro fluuios captas, & retibus austros.
Nil agis, utq; fluens laberis unda miser.
Nunc potes ausonias, aut graias uoluere chartas.
Dum tenera est ætas, & labor ipse iuuat.
Nunc propera, dimitte faces, dimitte sagittas,
Floreat & studijs culta thalia tuis.

Nosce diem, uenient tristissima nubila, quunq;
Grata uoles uitæ sumere dona, fluent.
Ne cogare senex rideri, aut tradere flammis
Quæ scribis, nunc sunt præcipitanda rogis.
Vera licet referas, dixi, tua candida forma
Efficit, ut faciem cogar amare tuam.

DE SEIPSO ET CVPIDINE DIALOGVS.

Aliger inuicta qui cuspide semper oberras.
Dic mihi cur nudum te tua mater alit?
Nudo homines qui nostra petunt delubra, rubenti
Cur stant in dextra spicula? trado necem.
Cur puer es? pueros facio, quoscunq; sagittis
Saucio, siue nolans ignibus uro meis.
Ventosas humeris cur fixit Iuppiter alas?
Est quouis leuior flamine quisquis amat.
Cur tecum faculæ? quia uiuida corda, fretumq;
Et iuga montosa, & scrupea saxa cremo.
Cæcus es? an claro (dic) lumine? cæcus amator,
Non ego, luce poli lux mea clara magis.
Pasceris ambrosia? seu nectare? pascor amœnis
Blandicijs, risu, & sedulitate ioci.
Cur tibi pulchra parens? quia densos forma calores
Ingenerat, formæ munere nascor ego.
Cur maris e fluctu prognata est mater? amator
Vt mota in salsis fluctuat unda uadis.

Dic tua num uilis domus? an cultissima? nulla
Tecta colo, hiberno sub Ioue dego miser.
Dic ubi stas quum lassa tuo sunt membra uolatu?
Crede mihi, nunquam me leuis ala uehit.
Pulchra suo imposuit me Cælia pectore, & ambo
Bella polo, & terræ, & bella minamur aquis.

AD CAELIAM.

Tota anima ex oculis mirantibus exijt, Argus
Vt fierem, oraui, cæcus at inde fui.

AD HIRVNDINEM.

Aequales ambo, tu stas signata cruore:
Quassa mihi exucto membra cruore cadunt.
Tu defles itylum, quid me nisi flebilis angor
Externat? lachrymis deperiere genæ.
Tu Philomelææ loqueris dispendia linguæ,
Ipse mea ab demens fata, necemque loquor.
Exoritur quum mane recens ex æquore Phœbus
Conquereris, mœsta tunc ego uoce queror.
Crras, & circumi, circum stridoribus imples
Atria, sic circum strideo, & erro miser.
Heu tua uita magis felix, nam tempora ueris
Semper habes, ueris tempora nulla mihi.

DE IOVE ET CVPIDINE.

Iuppiter humanæ captus fulgore puellæ,
  Aligero dixit talia uerba deo.
Fac mecum parili flagret nunc Cælia flamma:
  Et nectat dulcis mutua uincla Venus.
Huic Veneris proles ait o mihi parce,fauillæ
  Quas iaciam pro te,pectora nostra cremant.
Quod cupis,efflictim cupio,sum primus amator
  Et norunt fletus concaua saxa meos.
Talia percipiens alti moderator olympi,
  In puerum cœpit conscelerare manus.
Ille sed aereis pennis confisus in auras
  Tollitur,& pauitans fulmina,quærit opem.
Hanc petit,& niueo se claudit pectore,& ipsis
  Luminibus,dicens hic ego tutus ero.

DE CAELIA ET SPECVLO.

Ante suum ornatur speculum dum Cælia,dixit
  Sic speculum,speculo clarior ipsa tuo.
Quæ pars negligitur,pars illa decentior,alma
  Cælia,non utor te modo ut oner,ait.
Sum pulchra (ut dixti) cupio sic pulchra uideri.
  Quid pulchro in terris gratius ore uiget?
Subrisit speculum,iactanti & talia fatur.
  Ne credas dictis facta superba meis.
Nec tibi sic placeas,non est formosa puella,
  Nec prudens,quæ non sentit amoris opus.

Viscera si calidis tua sunt exusta fauillis,
Cur non puluereo funere mersus obis?
Spiritus in gemitus si fluxit, & aere gaudet
Liberiore tibi qui mouet ora sonus?
Cor si præreptum, quo uiuis corde? frequenter
Si ploras, cur non conteris ossa fluens?
Si percussit amor sæuo tibi uulnere pectus.
Cur non percusso in pectore uulnus habes?
Desine quisquis ades miseros sic lædere manes,
Vmbra mea est, corpus quæ regit, ipse obij.

DE CAELIA VENANTE.

Dum uaga uenatur per nostros Cælia saltus,
Hanc cernens subito Delius obstupuit.
Cur his errat, ait, campis germana remotis?
Et iuga parthenij linquit amœna soli?
Dum sic miratur, uoluit sua lumina, cynthum
Lustrat, & hic uero est numine uisa soror.
An me duas, inquit, peperit Latona dianas?
Quæ consanguinea est ista? uel illa mihi?
Hæc uadit passis, & passis illa capillis.
Hæc placet insigni pectore, & illa placet.
Nusquam iam similes toto sunt orbe Dianæ,
Vna stat effigies, unus utriq; decor.
Venantes ambo, uerum, sed dispare præda

Iuno ait, hæc homines conficit, illa feras.

AD CAELIAM.

Misisti florem, florem mea Cælia pronus,
Pronus in abducto claudo, & adoro sinu.
Hesperidum cedent illi uiolaria, namq;
Pensilis aurato uomere fiet ager.
Illum irrorabunt oculi fluitantibus undis.
Pro molli zephyro flamina pectus habet;
Donec erunt lachrymæ, donec difflabit in auras
Spiritus hic, uiridi flore uirebit ager.
Semper ego flebo, semper suspiria fundam,
Sub uerno semper flos erit axe uirens.
Si tamen arescet, condam sublime sepulchrum,
Nænia ubi imparili carmine talis erit.
Flos iaceo hic, crebro fletu consotus, & aura
Vitali, effugi nec graue mortis onus.
Quid tu puluereo quæ stas sub cortice? uelox
uita magis tua (nunc gaudia carpe) fluit.

DE SEIPSO ET VENERE.

Dum Venus in triuijs errantem quærit amorem,
Huic loquor, errantis dic mihi signa dei.
Illa refert, do signa, meus, meus ille proteruus,
Audax, & præceps, & sine lege puer.
Blanditur cuiquam, cuiquam desæuit, abitq;

Et redit,& quo uult fertur,ut aura uolat.
Crine suo pulchrum caput,& pulcherrima ceruix,
Vna nec in toto corpore menda manet.
Par color est igni suus,& sua lumina lucent
Vt flammæ,it nudus,nilq; pudoris habet.
Arcum leua tenet,super arcum dextra sagittam.
Circum humeros calamis plena pharetra nitet.
Non parcit matri,nunc hunc,nunc sauciat illum.
Et domat æthereos,tartareosq; deos.
Quin etiam rapidos armis immiscuit ignes,
Sic simul excindunt arma,simulq; cremant.
Alloquitur quoties blando sermone,uel ore
Purpureo arridet,damna,dolosq; struit.
Dissonat a lingua & uerbis mens atra,nec ullus
Tam prudens,quem non retibus ille tegat.
Basia lasciuus præbet,sed labra uenenum
Intus habent,sunt hæc dulcia,at usq; nocent.
Dona libens offert,quæcunq; hæc dona,cremanti
Tincta face,& stygio tincta liquore necant.
Tunc ego sublatis ridens clamoribus inquam,
Non procul hinc gnatus cypria diua tuus.
Pectore sub nostro deus hic affigitur,alas
Perdidit,& claudo stans pede,abire nequit.

AD CAELIAM.

Tres charites,tribus una charis connecteris,illæ
Tres charites teneant ut dea te charitem.

DE CAELIAE FLAMMA.

Cælia dum teretem niueo sub pollice fusum
Torqueret, lateri staret & alba colus.
It linum in flammas, unde hic accesserit ignis,
Ignoratur, ait serua, cremauit amor.
Nam dum corda nequit quæ sunt adamantina, miris
Insidians uoluit lina cremare rogis.
Inquit anus, lychni fuit hæc scintilla propinquã.
Blanda sed augurium credidit esse parens.
Aut hæc, dixit, erit fulgens regina, regetq;
(Non fallor) terras, & mare, signa patent.
Aut hæc æternum infiget tellure tropheum
Ob formam, uiuas filia, fulsit apex.
Talia dum referunt, telis armatus, & arcu
Venit amor, blandos sic dedit ore sonos.
Si longe aspiciens hæc urit lumine diuos,
Atq; homines, prope cur urere lina nequit?

DE CAELIA DORMIENTE.

Dum mouet aura comas, dũ fontis murmurat unda,
sub placida hac pressit me modo ualle sopor.
Quisquis ades mollem (dum dormio) parce quietẽ
Rumpere, sum sacræ Cælia numen aquæ.

DE ARGO.

Argus eram prudens,& habebam lumina centum.
Centum sed rapuit lumina Iuno mihi.
At postq̃ pictum fecit sibi Cælia flabrum
Ex illis,oculos sentio,cerno magis.
Inuidet his oculis tellus,& pontus,& æther.
Quilibet & lucem uellet habere meam.
Siquando faciem tegit,aut siquando papillas.
Phœbe tuam toto pellis ab orbe facem.
Depulso quoties diffunditur aere uentus:
Sedulus accensam lampada motat amor.
Hinc ego uiuo,& amo,tamen hac formidine turbor,
Ne sibi dum frigus captat,adurar inops.

DE CAELIAE BALNEO.

Inclyta laudatas peteret quum Cælia Baias,
Atq; salutiferis membra lauaret aquis.
Vidimus eiectis undantia balnea flammis,
Miramur,quid sit tantus,& unde uapor.
Quidam inquit,simulac uisa est hic Cælia nuda,
Hac cum rupe latens protinus arsit amor.

DE CAELIAE FLORIBVS.

Iam crescent albi flores,& fulgida crescent
Lilia,narcissi,purpureæq; rosæ.
Quisquis amas,gaude,creuit flos unicus,et iam
Maturus suaui munus odoris habet.

Lætentur ualles, campi lætentur, & horti,
Quanquam sæuit hyems, ueris habentur opes.
Arridens albos flores, & lilia fundit
Cælia, narcissos, purpureasque rosas.

AD CICADAM.

Tu felix cantas molli sub fronde cicada,
Ipse queror duræ uirginis ante fores.
Ros tibi dat uitam, mihi uitam fletus, adurit
Aestatis non te feruor, aduror amans.
Tu quocunque libet uolitas, ego carcere claudor.
Garrula tu fundis carmina, fimus ego.
Tu uernis zephyris, & læni flamine gaudes,
At mea succendit feruidus ossa calor.
Tu nimis exultas, ego cæco uulneror arcu,
Tu diues (sic est sors mea) pauper amo.
Hoc tantum similes, similes sumus ambo, querente
Voce peris, pereo uoce querente miser.

DE CVPIDINE.

Fallitur esse deum qui magnum dicit amorem,
Qui deus est, bonus est, hic malus usque necat.

DE SEIPSO DIALOG.

Cur sic exardes? nascenti Afflauit amores

Torua Venus/Veneris flammea regna sequor.
Quæ tibi dic mater? fletus/pater? impius ardor.
Quæ nutrix? gemitus/quæ domus? urna silens:
Quo lacte es pastus? spe cassa/& cortice/& euro/
Quis docuit linguam promere uerba? furor.
Qua ueste obtegeris? corpus patientia corpus
Obtegit/hic quæris quid modo? quæro necem.
Quid garris? tetricæ pallentia funera mortis/
Qui uiuis? miseri ut uiuere in orbe solent.
Num sic semper eris? semper, quæ causa doloris
Dic tanti? solus causa malignus amor.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Flebat amor/matremq; suam quærebat, at ipsa
Vt uisa est uultu Cælia pulchra suo.
Ipsam appellat amor matrem/sed Cælia toruo
Lumine ait/non sum mater/amor rubuit.

DE SVA PICTVRA:

Pingeret ut tenui in tabula mea corpora pictor.
Cœperat a membris pingere membra meis.
Sed quoniam absumpto nisi pallor stabat in ore
E populo unus ait/sit tibi pallor opus.
Approbat/& tenuem pallenti cromate formam
Pingebat/cur non/dico ego/pingis aquas?
Cur non & flammas? cur non suspiria? cur non

Hos gemitus? hæc sunt quæ mihi damna nocent.
Ille autem infausto cernens me uiuere fato,
Pinxit in ardenti corpus inane rogo.

DE CAELIA ET SPECVLO.

Pectine formosos concinnans Cælia crines
Consuluit speculum quæ sibi forma foret.
Respondit speculum, quid tecum fulgor? bonosq;?
Si fugis idalium tam pudibunda torum?
Accedent anni quibus istæc fugerit ætas.
Et quibus urenti non eris apta ioco.
Viue hodie, cras nimbus erit, cras nubila surgent.
Impelletq; tuam dira procella ratem.
Conteris ætatem uiridem, non uiuitur apte
Hic ubi non lætus dona ministrat amor.
Quid tibi concessus decor? utere tempore, uirgo
Casta nimis dici uirgo sepulta potest.
Omnia mutantur, quoties mutata dolebis.
Et dices, heu cur dura in amore fui?
O quam sæua tibi, cur perdis præmia formæ:
Forma quid est, fructum ni sua dona gerunt?
Nunc propera, dum uernat humus, dum lilia florẽ.
Hæc non maturo tempore lecta cadunt.
Nunc propera infelix, uertuntur tempora circum
Et redeunt, sed tu non reditura peris.
Cui non hoc notum? uita hæc ni pulueris umbra.
Vita nihil, cœlos suspice, amore calent.

Quid sit amor, nescis? res est dulcissima, disce,
Disce tua sapiens utilitate frui.
Cur natura dedit quæ dona relinquis? & illa
(Quam peccas) homines mille relicta necant.
Lenta manes, nec credis inops, inscitia tanti
Causa mali. gaude (sæua moraris) ama.
Hoc hoc consilium tibi do, do Cælia, dumq;
Me spectas, speculi hæc uerba loquentis habe.

AD AMOREM DORMIENTEM.

Dormis sæue puer, sed non tuus arculus, ignem
Suscitat, & uigili lampade corda cremat.

AD IMAGINEM CAELIAE

Tristia solaris præcordia, dasq; quietem,
Quum cerno uultus picta tabella tuos.
Contra illa infestat me totum, spernit, & odit,
Et quam formosa est tam ferus urit amor.
Si tibi lingua foret, proferres uerba, sed illa
Ora potens miti uoce mouere, silet.
Et quamuis sileas, tu dicere uerba uideris,
Et mulces fletus, sæuius illa tumet.
Annuis, ingredior quoties, reddisq; salutem,
Illa negans solum dicere nouit, abi.
Læta manes, mecumq; sedes inmobilis, illa

Mobilior sicca fronde superba fugit.
Te crebro ostendis, crebro latet illa, querelas
Tu uanas audis, surdior illa freto:
Estis inæquales cunctis in rebus, & ambo
Dispariles. sed nos res facit una pares.
Illa ab amore procul quia uitæ munera nescit,
Emoritur, tenebras tu quoq; mortis habes.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Armatur telis puer aliger, accipit arcum.
Et ruit in dominam cum face, lætor ego.
At domina ut torsit sua lumina, diffugit ille,
Non te (parce precor) cor peto amantis, ait.

DE SEIPSO, MORTE, ET CVPIDINE

Dum mea lingua uocat mortē, mors aduenit, & quid
Vis? ait, hoc cupio dico ego, cæde caput.
Falcem aptat collo, cædit, nec cæditur ulla
Vena, nec elapso membra cruore cadunt.
Miratur mors, ipse tremo ceu canna palustris
Quum quatitur rauco sæpius acta noto.
Vidit ut id, summo delabitur axe Cupido,
Et dicit, non hic ense perire potest.
Si quissem hunc ferro, seu tristi abrumpere flamma,
Hoc arcu quoties occubuisset amans?
Ossibus his tantum dolor est, & pallor, & ardor,

Pulchra sed eius habet Cælia pulchra animam.

DE CAELIA ET PAPILIONE.

Papilio fulgens dominæ dum lumen oberrat.
Carpit,& a teneris oscula grata genis.
Occidit,ante tamen nigrum quam uiseret orcum,
Dicitur hæc surdis uerba dedisse notis.
Ecce hominum quæ mille domat,quæ mille deorum
Pectora,me manibus(quæ modo fama)necat.

AD LECTOREM.

Si molles elegos,& uana epigrammata texo.
Non mirum,mollis tu quoq; uana facis.

DE SEIPSO ET CAELIA.

Vt mouit crines uentoso Cælia flabro,
Accessere ipsi frigora,flamma mihi.
Hoc mirum,in glaciem duram conuertitur illa,
Quæ nunquam æstiuo sole liquere potest.
Ipse cinis fio,sed qui me nouit amantem,
Apposuit cineri subdita uerba meo.
Cælia frigus amans dum percutit aera pennis
Fit glacies,miser hic frigore adustus obit.

DE SVIS STVDIIS.

Quid sit libertas, noui, mihi grata uoluptas,
- Dum uigilat studijs parua lucerna meis.
Hoc iuuat, an uisam reges? regumq; triumphos?
Et stabo ante tuum diues inepte torum?
Quis te ferre potest nisi demens? ferre tumentes
Qui norunt fastus, limina magna terant.
Hic mihi grata quies, & quamuis saeuiat auster,
Enitet exiguo iam mens igne focus.
Pulso chelym digitis, & dulcia carmina canto,
Carmina quae possunt saepe mouere deos.
An mea languentum conturbant gaudia morbi?
Iura ue clamosi litigiosa fori?
Hoc melius, quam ferre tuas plaebecula sordes,
Irarum & pleno corde redire domum.
Ite alii in bellorum acies, in praelia, in hostes.
Tuta magis sunt haec castra, cruore uacant.
Hinc procul ambitio, procul hinc uesana Cupido.
Rugaq; turbatae frontis, & ira procul.
Conscia mens recti fida est custodia, dumq;
Nil obsim, mea quo membra pauore trement?
Tota ruat coeli moles, non terreor, ipsa
Ipsa ruant in me fulmina, laetus ero.

AD CAELIAM.

Nunc uiuo, & uiuis, uini iungamur amantes,
Et laeti in media simus uterq; rosa.
Gaudentes uiuunt, blandos excludet amores

Et dulces lusus tetra senecta obitus.

DE CAELIAE VENATIONE.

Dum custodit agros canis, & loca peruia cingunt
  Fila plagæ, & flatu cornua plena sonant.
Dum ferit aereas clamor uenaticus auras,
  Exilit exerto dente proteruus aper.
Nunc hac nunc illac ceu fulmen perfurit, atq;
  Contra illum quisquam comminus ire pauet.
Formidatis? ait manoriia Cælia, uestes
  Complicat, effusas aptat in aure comas.
Flectit equum in gyros, stringit uenabula dextra,
  Ille ferox dominæ concidit ante pedes.
Obstupuere omnes, tunc quidam, non ego miror,
  Nec stupeo, ferro si fera cæsa fuit.
Ecce potest oculis pulchris, & pectore pulchro
  Armatos homines, & laniare deos.

MITTIT COROLLAM AD AMICAM.

Floribus intextam diuersis mitto corollam,
  Quam feci manibus nunc tibi uita meis.
Vt cingat flauos crines, & tempora circum
  Fulgescat, tepidi munera ueris habes.
Sunt hic (ecce uides) ridentia lilia, pulchri
  Narcissi, atq; tuæ pulchræ hyacinthe comæ.

Nec non idalio maculati sanguine flores,
A tq; alij, tellus quos modo fœta tulit.
Si quæris donum, quid uult sibi tale? corolla.
Vt uiret hæc paruo tempore, forma uiret.

IRASCITVR AMICAE.

Ecce tumet forma præstanti Cælia, statq;
Insignis crine, & fronte nitente ferox.
Præteriens humili si dico uoce salutem
Non audit uocem, nec mea damna uidet.
Rideor infelix, anni properate, diesq;,
Acceleraq; tuos curua senecta pedes.
Finge genas sulcis, & canos effice, tantus
Tantus ut ex illo corpore fastus eat.

AD CAELIAM.

Ne fide humanis mea Cælia, cuncta creata
Sunt nihil, & nulla cum ratione fluunt.

DE SEIPSO & CVPIDINE DIALOG.

Cur sic expalles? ubi nunc color igneus? artus
Qui tibi (si memini) condecorabat amor?
Dic ubi labentes humana in corda fauillæ?
Vnde fugis? tua cur membra pauore tremunt?
Dic ubi sunt alæ? atq; arcus? ubi tela? pharetræ?

Non ille es genuit, quem Venus orta salo?
Ipse fui quondam deus, & cœlestis, & ingens.
Quem pepetit gratis fluctibus orta parens.
Nunc paueo, & fugio, nam me superauit amantes
Quæ nata est damnis unica forma meis.
Dic non solus habes, non solus numen amantum?
Numina quid prosunt? saucius ecce uagor.
Quis te prægrandes iaculatur fortius ictus?
Vna dea est, homines quæ ferit, atq; deos.
Et non est illi sicut mihi debilis arcus,
Qui non transmissa cuspide uulnus agit.
Dic quibus hæc armis te tantum exterruit hostem?
Arma quibus uicit me modo, nullus habet.
Illa oculis, oculis armata potentibus audet,
Intuitu ex humeris excidit ala meis.
Arcum colloquio fregit, risuq; pharetram,
Pallorem membris facta proterua tulit.
Exibat læni qui dulcis anhelitus ore
Surripuit mentem, surripuitq; facem.
Defeci infelix, mihi damna, nigrumq; calorem
Inijciens rapuit cuncta decora, uides.
Ergo uacas? & nostra silent incommoda? statq;
Tutus amans? per me qualibet ire potest.
Sed manet in terris quæ me confixit, & ussit,
Dic quæ? nota tibi Cælia? nota, necat.

DE CAELIA ET AVRA.

Lactea fulgentes dominæ per colla capilli
Pendebant, quos dum prospicit aura, refert.
Quam pulchram aspicio frontem, par illa dearum
Frontibus, accedam? quis uetat? ecce patet.
Hæc simul ut dixit, ueloces excutit alas,
Cœpit & in niuea fronte mouere comas:
Illa tamen motos crines astringit in orbem,
Increpat & zephyri, sæuaq; flabra noti.
Aura sed insistit, quæ dum turbare capillos
Non potis est, labris hæret, & ora subit.
Hic hic lætor ait, nam dulcia basia carpo,
Basia spiritibus basia digna meis.
Dum sic lætatur, dum sic sua gaudia iactat,
Occidit in casto facta beata sinu.
Hanc Venus in medio locat aere, condit & urnam
In qua sub tali carmine nota cubat.
Aura in amore fui felix, nunc sum nihil aura,
Sic fiet, quæ stat Cælia sæua, nihil.

AD CAELIAM.

Luce tua ipse calens timeo, ne maximus ignis
Sit color hic, terras, & maris urat aquas.

COELO GOMPARAT AMICAM.

Septem errant ignes per cœli mobilis axes,
Septem etiam illa suo in corpore signa tenet.

Ostendit gelidos uultus argentea Phœbe,
Illa suum intextum de niue pectus habet.
Mercurius linguæ decoratur dotibus, illa
Eloquio dulci saxa, fretumq; domat.
Apparet cum mane Venus, cum uespere, & illa
Vtroq; apparet tempore clara magis.
Aliquidis ueniens sol præclarissimus undis
Enitet, illa suo quum uenit ore niuet.
Fortior armato Mars milite surgit, & illa
Fortior armato milite surgit atrox.
Iuppiter aspiciens cum terra pacat olympum,
Cum cœlo aspiciens illa serenat humum.
Curuatur senio tristis Saturnus, & illa
Pulchra satis tantum moribus extat anus.
Quicunq; ergo meum non unquam uidit amorem,
In cœlum attollat lumina, doctus erit.

AD CITHARAM.

Te pulso digitis, & curuo pectine pulso,
Me pulsat sæuo uerbere sæuus amor.
Tu cincta es neruis, mea sunt religata catenis
Pectora, dulce sonas carmen, at ipse queror.
In medio stant bina tibi, stant uulnera, pectus
Mille meum quassant uulnera, mille faces.
E buxo contexta nites, ego pallidus humor
Tabeo, & in uilem (respice) uertor humum.
Qu uni pulsaris, habes animã, nam membra resultãt

Spiritibus, tecum mortuus ista loquor.

AD CAELIAM.

I lege nunc florem, si floris præterit ætas,
Non florem, at sentes (uæ tibi) cana leges.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Cælia conspicuos ornarat flore capillos.
Captus amor pulchri floris amore refert.
Da mihi diua tuum florem, do Cælia florem
Inquit, acidalias si dabis ipse faces.
Accipiens florem puer hic, sua tradidit arma,
Sic amor it lætus flore, puella face.

DE ABSENTIA AMICAE.

Hic ubi sum, mites auræ, felicis & horti
Sunt hederæ, & lauri Phœbe decore tuæ.
Hic lassus recubat boreas, hic ocia littus
Indicat, & somnos dum silet unda facit.
Commoda parthenopes hic balnea, ueris & ampla
Rura, ubi perpetuo flore nitescit humus.
Sed quoniam dulcis procul extat Cælia, mitis
Aura fugit, sentes & meus hortus habet.
Frigidus insurgit boreas, & littora fluctu
Curua sonant, uigili cedit ab ore sopor.

Non hic Parthenopes sed inhospita saxa Lycæi
  Aspicio/hic illa hic sit modo/diuus ero.

AD CAELIAM.

Qui spuma exortam cyprin/qui cypride amorem
  Dixit/non uidit quam tua forma nitet.
Obuia tu quoties sis nobis/una nitenti
  Aspectu exoritur cypris/& unus amor.

DE SEIPSO & CVPIDINE DIA/ LOGVS.

Cur ueheris curru nec pennis alme Cupido?
  Sum fessus/pennas non habet ala suas.
Non meus hic currus/sed matris/cerno columbas
  Purpureas? tales dat mihi mater aues.
Aduehor his auibus/sed postquam lassa columba?
  Aduehe or a gemino passere lætus amor.
Qua ueheris uolucri quum lassus passer anhelat?
  Nec potis est pennis se mage ferre suis?
Cælia tunc passer/tunc Cælia pulchra columba/
  Cælia tunc albus cycnus/& albus amor.

AD PICTOREM.

Dele opus hoc pictor/duplici ne Cælia flamma
  Nos urat/picta & uiua dat ore faces.

DE CAELIA CVPIENTE AVRAM.

Aestiua recubans sub quercu Caelia, dixit,
Nunc uellem afflatus mobilis aura tuos.
Confestim a nostro pelluntur pectore flabra,
Aura fit ex illis, motat & aura comas.
Caelia laetatur uento, sed dicit ut ignis
Feruet, & urentes cerno uenire rogos.
Ne mirere ait aura, tuus me mittit amator,
Et magnus fluit hic corde calente calor.
Sed miror quare nunc poscis frigora, totas
Sueta tenere hyemes, sueta tenere niues.

DE SVA POENA IMMVTABILI.

Dic ubi Thebarum portae? Babylonis & alta
Moenia? Romanae dic ubi sceptra togae?
Herba tegit Troiam, graias tegit herba Mycoenas,
Nec credis, montes, hic ubi campus, erant.
Quod secat Europā, & Libyā mare uomer arabat,
Nexaq; cum calabris Trinacris ora fuit.
Hic hominum steterant ubi quondam tecta, ferarum
Nunc lustra urticis contumulata uides.
Quot maria? atq; lacus tellus absorpsit? & ipsa
Quot titulos tellus? quot lacerauit opes?
Atteritur digitis aurum dum fertur, & undae
Saxa cauant, mutant flumina curua uias.

Inſcribunt pario reges ſua nomina ſaxo.
Nomina cum ſaxis ſunt peritura ſuis.
Omnia ſub magno tandem uertuntur olympo.
At mea in æterno pœna dolore manet.

DE VENERE ET CVPIDINE.

Cypris ait nato, da flammas, Cælia friget,
Natus ait, flammas poſſidet illa meas.

DE PVLICE.

Pulchra pulex teneræ penetrat dum mēbra puellæ,
Clamq; ſubit niueum dente premente femur.
Comprimitur digitis, & nigro clauditur orco,
Sed dedit hoc illi diſtichon alma Venus.
Mortuus hic iaceo, ſed non hic mortuus, ardens
Dum premor albenti pollice, uiuo pulex.

DE CAELIA ET CVPIDINE:

Dum legit ungue roſas & candida lilia dulcis
Cœlia, de lectis floribus exit amor.
Vidit ut hoc, ſubito excuſſa eſt terrore parumper:
Mox confiſa ſuis uiribus, hæc loquitur.
Nō dum nude manes? non dum me linquis inermē?
Num nequeo fronti carpere ſerta meo?
Quid cruciaris? ait deus ille, ſopore quietus

Qui ſtabam accuſor? quis uetat iſta tibi?
Siue roſas mauis, ſeu mauis lilia, ſume,
Sume impune, tuus talia fundit ager.
His dictis, ſerto nectit florente capillos.
Et ſpernens nudi numen amoris abit.
Inuidet ipſe puer, potis eſt nec ferre, triumphus
Non erit unius dixit, adibo, uolat.
Illius agglomerat ſe ſerto, & crinibus, atq;
Ambo ſumma homines impietate necant.

DE CAELIAE FVLGORE.

Fulgida ſat lunæ lampas, ſat fulgida lampas
Stellarum, & lampas fulgida Phœbe tua.
Fulgidior certe mea Cælia lampade lunæ,
Lampade ſtellarum, et lampade Phœbe tua.

AD AMOREM.

Quis tibi tot flammas? tot tela miniſtrat? amœno
Cælia dat flammas pectore, tela oculis.

DE CAELIA ET FLORE.

Dum pulchrum hamatis florem mea Cælia ſpinis
Eligit, atq; noua contegit arte comas.
Flos ait, abruptus ſi ſum ſemel arbore, grati
Quum uenient ueris tempora, rurſus ero.

At tua lanificæ mutilant si Licia parcæ.
Non redit ex atro puluere frontis honor.
Illa refert, grati non florem ueris eundem.
Sed similem (uideo) tempora ferre solent.
Sic ego quum fuero tenues dilapsa per auras.
Aequalem non me forte uidebit humus.
Flos inquit, nunquam si reddunt fata iuuentam,
Cur temnis quæ dat munera dulcis amor?
Sic numerasse dies si funus sentiet atrum.
Mœrebit, tradent secula nulla parem.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Cælia sub querna captabat fronde quietem,
Quam simul ut uidit, currit amator amor.
Dulciaq; e labris dum carpit suauia, somnus
Euolat, illa gemit, lumina pandit, ait.
Quis me pressat? amor dulcedine captus abire
Dum nescit, capitur, fit noua præda, dolet.
Donec det pretium, seu pignus linquitur ala.
Nunc illa auratas uentilat ala comas.
Et quoties mitis renouatur ab aere uentus.
Ipse miser toties igne calente cremor.

DE SVO AMORE AETERNO

Tempore tecta ruunt prætoria, tempore uires.
Tempore quæsitæ debilitantur opes.

Tempore uernales flores, argentea & arent
Lilia, præfulgens tempore forma fluit.
Tempore montani lapides, & tempore uirtus
Occidit, & regum tempore desit honos.
Tempore mutantur cineres in saxa, peritq;
Tempore fama, perit gloria, nomen abit.
Vertitur in senium tellus, & tempore montes
Deficiunt, æquor tempore perdit aquas.
Tempore fit cœlum uariabile, tempore Phœbus
Luce caret, scriptum tempore marmor obit.
Tempore duricies, decedit tempore liuor.
At meus heu nullo tempore cessat amor.

DE CVLICE

Non sinit ipse culex placidos me carpere somnos.
Credo equidem in culicem se modo uertit amor.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Quum sæuiret hyems, & Cælia posceret ignem,
Maximus est ignis fœmina, dicit amor.
Illa refert, nullum, nullum dat flamma calorem,
Sunt magis hæc scythica frigida membra niue.
Tange manum quam friget, amor, te tangere nolo,
Ne sis causa meæ mortis, & igne cremer.

AD SOMNVM.

Non potui tunc ſomne mori? da ſomne quietem
Talem iterum, breuis o quam breuis illa fuit.
Hoc ſaltem liceat, ſi gaudia uera negantur.
Eſt aliquid, ſimilis dum ſubit oſſa ſopor.
Illæ illæ tenebræ tribuerunt undiq; lucem.
Lux tribuit tenebras, lux tenebroſa uale.
O quales quales mammas, o qualia crura,
Quale femur tetigi, nil ego uoce loquor.
O pudet, & quæ ſunt dulciſſima iure tacentur.
Cur taceam? totus feruet amore polus.
Laſſi ambo poſtquam requieuimus, oſcula labris
Mille illis data ſunt, reddita mille meis.
Somne ueni, ſed qualis eras, quum talia uidi.
En ſatur, & potus lumina claudo, ueni.

DE CVPIDINE & SEIPSO.

Quum uidiſſet amor mea corpora nuda, nec ulla
Vulnera, num noſter non ferit arcus? ait.
Num uentoſa mihi ſunt tela? nec illa cruorem
Educunt: nulla hic plaga cruoris adeſt.
Deſine mirari, dixi, tua tela ſat urunt.
Sat feriunt, alter me tamen urget amor.
Illa illa ætherea quæ fronte ſuperbit, amoris
Regnum habet, & ſola uulnera luce facit.

DE CAELIA ET SOMNO.

Vidit ut herboso prostrata in gramine membra
  Somnus herę, prope sit, gestit adesse, refert.
Grata hęc, aspicio, formosa hęc, angor, & uror,
  Irruerem, sed me cogit abire timor.
Excita ne surgat, uinclisq; coercear, & sic
  Torquear, hinc timor hinc effuge, uincit amor.
Hęc dicens, ori uibrantibus oscula linguis
  Ingerit, ęthereas carpit anhelus opes.
Non contentus adhuc, complexibus utitur arctis,
  Attamen amplexus sensit ut illa graues
Desilit attonita, & socios uocat, effluit illinc
  Illinc alatus ceu leuis aura sopor.
Et procul existens fatur, requiesce sub umbra.
  Oppressi corpus qui tibi, somnus eram.
Hoc tamen admoneo, uiuas feliciter, & nunc.
  Cras quid eris, nescis, gaudia carpe, fluunt.
Vt fugi ex oculis ego nunc exclusus apertis
  Sic fugis ipsa, mihi, si mihi credis, ama.

AD CVPIDINEM.

Si tua castra sequor, cur me crudeliter uris?
  Parco tibi, nescit iura, modumq; puer.

DE SEIPSO & CAELIA.

Sum cinis in gelidis tumulis, sum uiuus amator.
  Sum mœstus, lętor, sum sine uoce, loquor.

Et locuples, & pauper amo, spe nutrior expes,
Et mando chartis carmina, mando notis.
Terra mihi colitur, tumidis & mergor in undis.
Sum saturo, & farto uentre, premorq; fame.
Haurio fontis aquas, & anhelis faucibus hæret
Sicca sitis, uideo lumine cassus iter.
Hic moror, atq; illuc propero, miser audio surdis
Auribus, includor carcere, liber eo.
Ora madent lachrymis, & rident ora, profundos
Corda cient gemitus, corda perussit amor.
Torqueor infelix ex omni parte, sed una
una mihi semper, semper iniqua mihi.

AD COROLLAS.

Ante fores madidæ sic, sic pendete corollæ.
Mane orto imponet Cælia uos capiti.
At quum per canam ceruicem fluxerit humor,
Dicite, non roris, sed pluuia hæc lachrymæ.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Pelliceam induerat se frigens Cælia uestem,
Inquit amor, calido me tege, quæso, sinu.
Canet humus niuibus, stridens aquilonibus imber
Sæuit, eo nudus, respice, membra tremunt.
Illa, libens faciam, sed primum pone sagittas.
Pone arcum, abiecit protinus arma puer.

Illuc ingressus subito se fouit amictu.
Perpetuo hic utinam uita daretur, ait.
Mox paulo tantum sensit sub tegmine frigus
Ad Paphon ut celeri fugerit inde pede.

FLOS.

Flos ego qui uenio sum nuncius, alloquor, hora
Fulgorem una meum praeripit, una tuum.

DE SE IPSO ET CVPIDINE DIALOGVS.

Tu solitus quondam coelo gaudere nitenti
Quid facis hic nudus? nudus amator amo.
Frigora non brumae sentis? ego torreor, ala
Cur non ex humeris pendet? adusta fuit.
Non arcum pictum? pictam non cerno pharetram?
Non mirum, maius tu quoq; uulnus habes.
Quis tibi cor miserum? quis sensus abstulit imos?
Fregit & ingenij florida dona tui?
Ergo sumus tristes ambo? sumus ambo sub uno
Vinclo? unum uinclum pressat utrunq;, uides.
Credebam ipse meum te cor fixisse sagittis?
Falsus eras, quem nam fixit inermis amor?
Quum tibi uisa fuit quae sole nitentior extat
Caelia, in illius pectore clausus eram.

DE CAELIA NAVIGANTE.

Nauigat aurata dum sollers Cælia naui,
  Neptuni & læto lumine regna uidet.
Cantabat (memini) stans celsa in puppe, facesq;
  Inijciens undis talia pulcher amor.
Vssimus ambo polos, nunc urimus æquora, flexo
  Ipse arcu, hæc oculis, & miser urar ego.

DE PICTORE ET CVPIDINE.

Pingeret idalium in tabulis quum pictor amorem
  Pictori inquit amor, me male pingis iners.
Non sum pennatus, pharetram nec gesso, nec arma
  Nec manus accensas uentilat igne faces.
Pallentem, & mœstum pingas, si pingere me uis.
  Ora gemant, madeant fletibus ora meis.
Cui pictor, quid aues ita pingier? amplius inquit
  Non sum amor, illa, illa est Cælia pulcher amor

DE SEIPSO ET CAELIA.

Quærebat lucem extincto dare Cælia lychno.
  Quod quæris lumen, dico ego, lumen habes.
Sole magis fulges, ait illa naferrima, quod nunc
  Quæro mihi, potis es tradere, nanq; cales.
Ecce adsum, refero immensam de corde fauillam
  Excute, respondet, tu sine corde manes.

DE CAELIAE NIVE.

Transibam frigens, uidit me Cælia, risit,
 Et mea compressam iecit in ora niuem.
Non nix illa fuit, rapido sed qualis ab Euro,
 Arentes calamos urere flamma solet.
Tunc arsi infelix, sunt hæc miracula, possunt
 In media fieri flammea tela niue.
Credo equidem densas potuisset adurere nubes.
 Cumq; pruiniferis æquora fluminibus.
Pone arcum, pudeat te flammas ferre Cupido.
 Hoc numen uerum, hoc, corda cremare gelu.

AD CAELIAM.

Feruet aquis æquor, uentis impellitur aer,
 Et furit accensis sicilis ætna rogis.
Heu simul hæc nostro mala sunt in corpore, fletus
 Fundit aquas, gemitus flamina, corq; faces.

DE SEIPSO DIALOGVS.

Cur gemis? uror amans, urit quæ flamma? puella
 Sit quæuis, animos abstulit una meos.
Dic crines? flauos, oculos? nigrore coruscant.
 Ceruicem? mira est, labra? corallina habet.
Dic faciem? Venerem, uenatricemq; Dianam
 Posset, & æquoreas exuperare deas.

Quanto hæc ingenio? cœlesti, pectore quanto?
Procero, atq; humeris? ampla, benigna? nihil.
Albicat? illa niuem, & candore coagula lactis
Vincit, natiuus tingit & ora rubor.
Pinguis? an exilis? manet inter utrunq; / mamillæ?
Turgidulæ, quibus o basia mille darem.
Nec satiatus adhuc illic me perdere uellem.
Contingant, precor, o talia fata mihi.
Cætera dic? nouit quis cætera? uestis opacat.
Nec fas illa loqui, quæ meliora puto.
Texere scit? sollers tela superatur arachne,
Penelope fuso, prouida Pallas acu.
Scit musam? & Phœbi citharã? quum cantat, habetq;
Plectra manu, dici Calliopea potest.
Nunc nosco, illa potens est Cælia desipis amens.
Desipio, hoc nosco, cor necat illa meum.

DE IOVE.

Fit cycnus, taurus, satyrus, fit Iuppiter aurum,
Ob Ledam, Europen, Antiopen, Danaen.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Cælia candentes ferro quum raderet ungues.
Infecit leso pollice sanguis humum.
Hoc ut uidit amor, nolite huic fidere, clamat.
Impegit (uidi) uulnera sæua sibi.

Non dum finierat uoces sua lingua, per auras
quum uolat, & dominā fit prope, & hæret humo.
Clam clam diffusis intingit spicula guttis.
Et dicit, nunc sum fortis, & asper ego.
Inde ubi se niueis adduxit in aera pennis.
Villarum & summo in culmine sedit atrox.
Incœpit maria, ac terras excindere, tuta
Nec fuit ex illis ictibus aula Iouis.

DE SEIPSO & SPECVLO.

Cernebar uitreo in speculo, & mecum ipse querebar
Quod tam præcipiti curreret hora pede.
Ingemui, & uitæ memorans dispendia fleui.
Et dixi euadam, qui modo cerno, nihil.
Non sum sicut heri, paulatim mutor, & anni
Dum serpunt, faciem ruga senilis arat.
Hæc ego dum surdas nequicquam uanus ad auras
Proferrem, speculi dixit imago mihi.
Quod nihil appellas, requies tranquilla malorum.
Certe illud, peior mors tibi morte manet.
Nam stantis dum fles ætatis labitur umbra.
Et quæ non captas gaudia, perdis inops.
Incipe, sic sapies, dubium nec differ in annum
(Si potes) optati munus amoris, ama.
Vt moriens dicas, ego uixi, nubila terge.
Sic tibi perpetui tempora ueris erunt.

Quid spectas? specto tua lumina, quid tibi nostra
  Lumina uis? nostrum surripuere animum.
Miror, uera loquor, radios iaculantur, & ignes,
  Perq; mea accedunt lumina, abitq; animus.

DE SEIPSO ET AVRA.

Cantabam in syluis aura o zephyrea calores
  Excute ab attritis artubus, aura uenit.
Quid me poscis, ait, non sunt mea flamina tanti:
  Aspice quam paruo murmure parua feror.
Det licet afflatus boreas, det Nereus undas,
  Non possem ardores attenuare tuos.
Fontano mulcens ego tunc incendia fletu,
  Dixi, infelici quis mihi tradet opem?
Haec roseo spirans cursu sic asserit ignes
  Si uult extinguet Caelia, tota gelu est.

DE CAELIA CONVALESCENTE:

Quum mea feruenti langueret febre puella,
  Purpureo & starent candida membra toro:
Induit inuisum mors lurida protinus ensem,
  Et petit infestis aurea tecta rogis.
Irruit, at postquam uidit sine labe papillas,
  Et quales praefert flaua Minerua oculos.

Obriguit, retroq; dedit uestigia, & inquit,
Non hæc lethæam digna subire ratem.
Sic fata infernas pudibunda recessit ad umbras.
Ausaq; sic nigro uerba tonare Ioui.
Quæcunq; æthereo sub regno regna morantur
Sunt nostra, una precor Cælia morte uacet.
Annuit hoc Pluto, facta est dea, & illico cedunt
Nubila, & intonsus dat quoq; Phœbus opem.
Sperandum est, postquam mors importuna pepercit,
Facta dea ut nostras audiat illa preces.

AD CAELIAM.

Mors mihi dat uitam, mihi mortem uita, sed omni
Vita mihi peior morte, dolenter amo.

DE SEIPSO & CVPIDINE.

Postquam picta fuit facies mea, protinus arcum
Sumpsit amor, pictam contudit & faciem.
Quid pictos, inquam, laceras puer inuide uultus?
An non sat telis pectora nostra tuis?
In te nullus, ait, locus est sine uulnere, uulnus
Addere uulneribus quid nisi lasso manus?
Te lassas, dixi, magis hic, nam spicula perdis,
Et flammas, caret hæc picta tabella anima.
Hoc uerum inquit, habet præclara at Cælia numen,
Aspectu ut caleant omnia pulchra suo.

Quum puerum Veneris uulgus spectaret inermem
Vulgus ait, cur es factus inermis amor?
Respondit genitrix, pro certis ecce sagittis
Vtitur illius pectore, & astra ferit.

DE CAELIAE RETICVLO.

Reticulum ex auro intextum rutilante uenustam
Vestierat frontem/uestieratq; comas.
Quod quum uidit amor/dixit/flammatur amore
Cælia/nam gignunt aurea fila faces.
Non hoc Cypris ait/nihil est ut charius auro.
Sic illa in toto charius orbe nihil.
Sed miror quare/quare illud uulnerat aurum?
Vt uideo/longa cum face tela iacit.
Falleris/inquit amor/non aurum uulnus/at illi
Illi oculi faciunt (aspice) saxa terunt.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Forte uidens natum Veneris per prata uagantem
Cælia fronte placens/Cælia crine placens.
Pone arcum/& certemus, ait/pone arma, facesq;,
Hic tibi si mecum prælia inire libet.
Illi dicit amor/si pono hæc arma/quid in te
Nudus agam? pugnax tu magis/atq; potens.

At si bella placent/& stat tibi tanta libido
Certandi,tela hac lege repono mea.
Vt claudas oculos/oculi fulgore perurunt.
Vt frenes linguam/lingua diserta necat.
Nil horum impediet pulchra hæc certamina fatur
Cœlia,claudo libens lumina/lingua silet.
Non expectat amor/sed in aera tollitur alis.
Et fugit/exclamat/sat tua forma potest.

AD CAELIAM:

Si deus est amor/& pacem meditatur/& optat
Quæ bona sunt/cur non hunc celebrabo deum?

DE VENERE ET CVPIDINE.

Forte sub umbrosa requiescens arbore Cypris/
In gremio puerum fouerat aligerum.
Cypridis abscedit gremio puer aliger/illa
De somno surgens quærit anhela deum.
Quærenti exclamat genitrici uulgus/amorem
Quem quæris/splendens Cælia surripuit.

AD CAELIAM.

Vt scirem quanto sim tecum iunctus amore,
Atq; fide/misi cor tibi/non rediijt.
Hospicium prædulce tuum/non amplius optat

Hos artus, gremio gaudet adesse tuo.
Post gemitum eieci, qui cordis nuncius esset.
Illum etiam (est quanquã sæpe reuersus) habes:
Nescit ubi sit cor, nec nouit dicere, solum
Spirat, & exusti pectoris auget onus.
Illi sæpe loquor, quid agit mea Cælia? quid cor?
Nil referens linquit corpus inane, fugit.
At nunc mitto animam, quæ si non ipsa redibit,
Protinus infelix hac tumulabor humo.

AD EANDEM.

Quid speculum spectas? uis uerum nosse colorem?
Quantaq; sit uultus gratia uiua tui?
Aspicias quum mitto tibi mea saucia corda.
Illic te docta cuspide pinxit amor.

DE CAELIA ET LIBELLO:

Quum legeret scriptas in paruo codice flammas
Cælia, mentitur qualia scriptor, ait.
Non sic exardet, nec sum tam pulchra, decensq;
Vt fatur, sunt hæc cortice uana magis.
Tunc codex chartis qui uoluebatur apertis.
Ter uoluit, nequijt uoce referre sonos.
Hoc fecit, uacuo misit suspiria cœlo.
Et mecum in cineres igne crematus abit.

DE CAELIA ET CVPIDINE.

Vidit amor dominam, ſtupuit, cecidere ſagittæ.
Armauit ſeſe Cælia, fugit amor.

DE SEIPSO ET FLORE DIALOG.

Bellule flos ſalue, quis te flos bellule miſit?
Illa tibi æmæas quæ iaculata faces.
Flacceſcis (cerno) ſic uultus flaccet amantis,
Mœrenti ſic ſtat, ſic ſtat in ore color.
I nunc ad dominam, retroq; reuertere, non id
Significas, quamuis ſit mihi nulla quies.
Sed quoniam uiridem non ſeruas uſq; decorem,
Quam cito crudelis deperit illa, doces.

DE CAELIAE CANTV.

Gaudebam, audiui dominam quum uoce canentem,
Gaudebam, qualis tunc mihi qualis erat.
Ex humeris nullo fluitabant ordine crines,
Et nulla nitidus ſtabat ab arte color.
Tunc mage compta mihi, mage tunc formoſa, decēſq;
Viſa fuit, poterat ſaxa mouere ſono.
Sed quia nulla diu firmantur gaudia, uoluit
Forte oculos, uideor, uiſa repente dolet.
Lingua ciens cantum ſilet, & ſua plectra recondit,
Turbatur, miſero multa minatur, abit.

Deseror infelix auulso corde, cadoq;
Acclinans oculos mortuus, illa redit.
Illico ut aspexit consumpti corporis ossa
Colligit, & nullo funere condit humi.
Impia nil mœrens haud plenum carmen ibidem
Inscripsit, dulci hic uoce peremptus amans.

AD LECTOREM:

Si tibi non placeo mihi lector parce, placere
Non possum, insipiens sum modo, tristis amo.

DE AMORE.

IN tabula primus tenerum qui pinxit amorem
Ingenio, & docta non fuit ille manu.
Nom puer est qui pana potest superare, fretumq;
Qui domat, & terras, aera, quiq; polos.
Non cæcum dicam, pungentibus utitur armis,
Et quicunq; ferit, num sine luce ferit?
Non findit latum pernicibus æthera pennis.
Sic nunquam a nostro corpore fixus abit.
Non mihi nudus erit, spoliat qui membra deorum,
Quiq; hominum, numquid ueste carebit inops?
Dum loquor id, ridens inquit mihi Cælia, amorem
Pingere uis? uultus (aspice) pinge meos.

DE SEIPSO DIALOGVS.

Dic cur in uultu sic palles? sanguis ad ima
Corda fluit/quæ sunt pene cremata rogis.
Cur defles? magnos ut lapsa hos unda calores
Molliat,in casso corpore flamma furit.
Cur gemis? ambesos ut amabile frigus in artus
Currat/& insanas temperet aura faces.
Cur quereris solus? solus comburor ab igne.
Qui non credit/amet/nunc ego sicut amo.
Cur non in mutos cineres conuerteris? ingens
Ingens id dominæ non sinit esse gelu.

AD CAELIAM.

Ni lachrymæ fluerent in flammam totus abirem/
Et ni flamma foret/diffluerem lachrymis.
Sic seruor lachrymis/sic flamma seruor,adurat/
Aut lachrymer/uitam præbet utrunq;/obeam.

DE CAELIA ET BOREA.

Vt boreas ussit glaciali frigore flores.
Ausa est in boream Cælia probra loqui.
Audes nympha deum petulante lacessere lingua?
Respondit boreas,non tibi notus ego?
Te rapiam leuibus sublimem in nubila pennis.
Et iungere meo præda coacta toro.
Substitit illa ferox ut saxum in montibus altis
Quod ruere ex ima rupe procella nequit.

Non potis ille frui quod amat, dat basia labris.
Nunc magis illa gelu labra notata placent.
Deniq; tanta fuit dulcedo, & tanta uoluptas
Arserit amisso ut frigore uentus amans.

AD CAELIAM.

Dum lætor uiuo, morior dum tristor, abibo
Lætus ego, postquam cura perire facit.

AD EANDEM.

Qu um sumis citharam, & diffundis in aëra cantum.
Saxa auidis pendent auribus, aura silet.
Qu um soluis crines uento, Dictynna uideris
In syluis quando cæde cruentat apros.
Qu um rides, læti discerpunt nubila uenti.
Qu um loqueris, fulgent sydera, uernat humus.
Qu um motas oculos, quid non amor impius audet?
Audet, & irato præripit arma Ioui.
Qu um graderis, te tota cohors miratur euntem.
Tota cohors passus laudat, amatq; tuos.
Sed quia maturæ non carpis poma iuuentæ,
Hæc in tam pulchro corpore sunt lachrymæ.

AD CAELIAM.

Cur immortalem te reris, pone tumentes

Fastus, mortalis sis pietate carens.

DE IOVE & IVNONE.

Iuppiter insani dum sæua cupidinis arma,
 Et nequit accensas pertolerare faces.
Iane biceps, cœli custos, mihi limina pande.
 Pande, nec hoc unquam sentiat uxor, ait.
Sensit ut hoc uxor, turbatur, & undiq; fluctus
 Ore uomit, liquida fit magis atra pice.
Irruere in magnum magna cum uoce tonantem
 Audet, & illius detrahit arma manu.
Clauigerum terret Ianum, lustratq; per omnes
 Terras, an uideat quo uir in igne calet.
Nunc huc, nunc illuc dum toruo lumine se fert,
 Aspectu patuit Cælia pulchra suo.
Quam simul ut uidit, cæcas exarsit in iras,
 Atq; inquit, senti, quid mea regna queunt.
Dum rotat, & piceo contorquet ab æthere fulmen.
 Illud in hæc durus pectora flexit amor.

DE CAELIA ET AMORE.

Vidit ut æthereos oculos amor illius, inquit
 Inquit amor, nulla hac pulchra puella magis.
Sensit ut immites animos amor illius, inquit
 Inquit amor, nulla hac sæua puella magis.

DE SEIPSO.

Dum canerem,& citharam pulsarem pectine solus
Solus apud dominæ nocte silente fores.
Audiui (fateor) uocem, sic dixit, amator
Stultus es, in uentos irrita uerba fluunt.
Respondi, nil esse loquor quodcunq; sed ægrum
Sæpe iuuat pœnas promere uoce suas.
Hæc mihi non alijs refero, sint sydera, testes,
Et si surda manent sydera, saxa precor.
Et uentos, nubesq; atras, & limina quæ me
Excludunt, sunt hæc uerba doloris, amo.

DE SEIPSO.

Fles, rides, gaudes, mœres, requiescis, oberras:
Non mirum, uita est talis amantis, amo.

AD AMICOS.

Exoriens postquam decorauit Cælia terram,
Vidit & erecto lumine tecta deum.
Cor dedit huic pallas, Venus ora, Diana pharetram,
Atq; arcum, doctam pulcher Apollo lyram.
Vrentes oculos Erato, linguamq; desertus
Mercurius, Iuno brachia, Mars animos.
Iuppiter incessum, flauos Aurora capillos,
Ornatum charites, spicula blandus amor.

Omnia de magnis dijs possidet, omnia amici
Vnde, unde huic tanta est, dicite, saeuicia?

AD CAELIAM.

Post obitum non marmor erit, non atra sepulchrum
Terra mihi, in membris diua iacebo tuis.

AD CAELIAM.

Sim procul a risu, nec cernam cornua Lunae,
Nec Phoebi auricomum luce nitente caput.
Me caeca exculcet fortuna, & nubila coelum
Condant, hanc ingens obruat unda ratem.
Praetendat cupidus fraudes, & tegmina liuor,
Deliteat tenebris fama, decusq; meum.
Exul ab his adigar terris, sim segnis, inersq;
Et uideam ante oculos funera nigra meos.
Nugata est quicquid mea musa, feratur in ignes,
Dummodo me spectes Caelia, laetus ero.

DE CAELIA.

Forte meam tangens dextram, sic Caelia dixit.
Mentiris, nec amas, algida dextra tua est,
Verus amans inquam facibus comburitur intus,
En calet in tactto corde sepulta Venus.
Respice pallorem, sum puluis, & umbra, recessit

Spiritus,inq; meis ossibus ætna furit.
Tellurem uidi densa canere pruina,
Quæ tamen ex ima parte perusta fuit.
Assimilor silici quæ cæcos integit ignes,
Et riget,ob canas frigida facta niues.
Et fluerem in cineres & in auras ustus abirem,
Sed tua me uiuum bruma,geluq; tenet.

DE CAELIAE STATVA.

Qui gelida sub rupe fui lapis,ora uenusta
Nunc refero,& uultus diua puella tuos.
Sculptori debes,sed debes plurima uati,
Hic polit,ille canit.quod canit,illud habes.
Vt nosti,lapidem teret hora fugatior euro,
At bene quod canitur,non teret hora fugax.
Hic sum muta silex,at carmine uulgor,& ore
Verba loquor,toto cernor in orbe nitens.
Non adsit cantus,remanebit uita,calorq;
Vatis,ero uatis uiua calore tui.

DE SEIPSO.

Ad fontem dum ploro,mihi fons inquit,ut ardor
Sedetur,gelidi suscipe fontis aquas.
Flumina aborta meis sunt,inquam,fletibus,ignes
Non sedant,posito ut sulphure teda cremor.
Sic ego.sed subitis arsit fons ignibus,ignes

E nostro ingentes pectore iecit amor.

AD CAELIAM:

Sæpe duces uolui/& reges/& prælia uersu
Dicere/sed uires debilitauit amor.
Vt te conspexi tanto fulgore nitentem/
Ite procul cædes/dixi ego/bella procul.
Cantetur numeris,cantetur Cælia plectro,
Sed quum tentaui dicere,nullus eram.
In fletus abijt mœstæ uox plena querelæ,
Et tantum pœnas promere cura fuit.

DE CAELIA.

Exiret dominæ dum pulchro pectore flamma,
Vreret & silices,& freta,Cypris ait.
Cælia si friget,cur nunc ita conijcit ignes,
Eius & aspectu terra,polusq; calet?
Sic pharetratus amor matri respondit,amantis
Illinc cor flammas non sua forma iacit.

DE CAELIAE STATVA.

Artificis studiosa manus dedit omnia,sed non
Mollescis digitis dulcis imago meis.
Tango/dura manes/non dura hæc marmora,tactu
Mollesco.est durus Cælia dura lapis.

Irroraret agros zephyrus quum flatibus,& uer
Duceret,& flores Cælia uisa fuit.
Hac uisa dimittit agros,dimittit honores
Veris,dimittit munera floris,amat.
Factus amans cœpit dulces effundere flatus,
Et flando optatum cœpit adire femur.
Protinus incluso sic intus flamine uenter
Intumuit/facilis sed prope partus erat.
Credite,mira loquor/fulgenti lumine campos,
Ver risu/flores uocibus hæc peperit.

AD EANDEM.

Marmor erat pulchræ qui uiderat ora Medusæ/
Viderit at siquis te dea dic,quid erit?
Durum marmor erit,stabitq; in marmore duro
Spes/mœror/gemitus/pœna/dolor/lachrymæ.

ROSA.

Candida nuper eram,nunc sum rosa rubra, colorem
Hunc dat purpureis Cælia pulchra genis.

DE SVO FLETV.

Seruat aquas limosa palus,mitisq; redundat

Riuus aquis,& aquas/ut patet,æquor habet.
Fons diffundit aquas,& aquas dat flumen,aquasq;
Stagna tenent,& aquis enitet ipse lacus.
Lumina sed lachrymis faciunt hæc plena paludem,
Riuum/æquor/fontem/flumina/stagna/lacum.

AD GRYLLVM.

Mortue Grylle iaces agrestis musa,lyræq;
Naturale decus,mortue Grylle iaces.
Quid faciam posthac?nostri solamen amoris,
Solamen somni mortue Grylle iaces.
Excutiens alas pedibus dic Grylle camœnas/
Et mulce optatis pectora fixa modis.
Hei mihi non audis.non dices amplius ignes
Grylle meos.tecum Terpsicorea iacet.
Ex lachrymis rorem tibi fundo Grylle/cremoq;
Hanc caueam,inq; tuos diffluit usta rogos.
Grylle uale,hacparua flores nascantur in urna,
Terraq; sit cineri semper amœna tuo.

DE SVO VOTO.

Non sequor obliquo sæuos liuore Tyrannos/
Non cupio in uolucri stare superbus equo.
Non posco ut nitidis surgant mihi tecta columnis,
Pulcher & in medio sit mihi rure lacus.
Non populi laudes,non plausus quæro theatri,

Non aurum, aut comites, militiæq; decus.
Non sacros fontes, non arua obsepta salictis,
Quicquid & ignauum deniq; uulgus amat.
Dum ualeo, hoc cupio, teneris in amoribus esse,
Hærere & thalamis Diua puella tuis.

DE CAELIA.

Veris honor flos est, uer terræ, sydera cœli,
Et cœli, & terræ, & Cælia ueris honor.

AD CAELIAM.

In cinerem fuero si post mea fata solutus,
Ille tua excussus curret in ora cinis.
Hic repetet cœlum si spiritus, arduus illinc
Et flammas mittet, mittet & arma necis.
Si non legitimæ complerim munera uitæ.
Errabo ante tuas ossea larua domos.
Corporeos iterum si commutabor in artus.
Corpus habes, corpus mole grauabo tuum.
Aere si pendam pœnas, leuis ibo, daboq;
Verbera, si mergar flumine, flumen eris.
Ad nubes iero, mittam de nubibus imbres.
Ignibus aduoluar, te ferus igne petam.
Quicquid ero moriens tecum crudelia tecum
Bella geram, flagris flebis inulta meis.
Si nihil euadam, nihil hoc torquebere, crede,

Crede mihi uultus persequar usq; tuos.
Conabor stygijs exire paludibus, & si
Parca negat, rumpet tartara lesus amor.
Nam tibi cum nequeam dum uiuo reddere pœnas:
Extinctus tanti uulneris ultor ero.

DE VIATORE ET SE IPSO DIALOGVS.

Quis iacet hic? Veneris iacet hic pulcherrima proles
Quam strauit forti Cælia pulchra manu.
Si deus hic, quare falcato decidit ense
Mortis? & in uili sic tumulatur humo?
A cupido hæc illi uis est generosa Tonante
Vt ualeat terræ, & bella mouere polo.
Vnde hoc? illa dea est cunctis speciosior astris.
Hac mundus quid nunc (aspice) maius habet?
Non hic armatus? pharetra succinctus? & arcu?
Quid tum, succubuit, fortior illa fuit.
Aurea non mater flammas? non uictricus hastam
Exhibuit? contra bellica Pallas erat.
Aegida formosis mammis, scutumq; lacerto
Aptarat, dextræ tela trisulca patris.
Non aberant musæ comites, non Phœbus, & Euan,
Hic puer, illa ingens, hic rudis, illa sagax.
Ergo quis extincto posthac succedet amori?
Huic pharetra? huic iaculū? huic flexilis arcus erit?
Imperium molle hoc, illa est castissima, & euro

Sæuior, heu cui non funera ferret atrox?
In turbam rutili globulos deflecteret auri.
Ipsa sibi plumbi frigida dona daret.
En nunc absq; arcu & facibus domat omnia uictrix
Quid si pennatus regna teneret amor?

DE SEIPSO.

Si nitet auratis mea candida uirgo capillis
Et pulchro æquoreas uincit honore deas:
Effutire leues cur demens cogor amores?
Ferreq; ut iratus tam mala uerba puer?
Cur turbor toties? & inania murmura iacto?
Cur toties illuc irrequietus eo?
Heu heu quid feci, quo uertor? numina cœlo
Aut nulla, aut certe non mala nostra uident.
Non potui esse silex? aut æquoris unda? uel alga?
Siue cinis? ferrem non ego tanta miser.
Hoc peius, promo insanas ex pectore uoces.
Nil prosunt uoces, & tamen usq; loquor.
Heu quid agam melius? lanient hæc dicta procellæ,
Et siquid chartis illino, flamma uoret.
Præteriit quæ danda fuit uirtutibus ætas.
Quicquid ago (uideo) uentus & unda rapit.
Ista loqui nollem, niger obtegit omnia puluis.
Obtegar, an uiuam? uiuere pœna mihi.
Non est uiuenti ni tetri funeris umbra
Si quicquam ingrati uita laboris habet.

Viuite uos alij, quibus omnia ingiter affert
Lætus amor, gladium tu mea sume manus.
Ne trepida, rapidas quum spiritus ibit ad auras
Clamabit, mortis Cælia causa fuit.

INCERTVS AVCTOR.

Factus amor mitis transfixo clausit amanti
Lumina, collegit corporis ossa Charis.
Tradidit inferias pia Cypris, carmen in ipsa
Vrna Erato scripsit, tu lege quisquis amas.
Non hic corpus adest, non hic cinis ater, at una
Flamma calens, cremat hæc flamma, uiator abi.

FINIS.

HIERONY. ANGERIANI NEA/ POLITANI ECLOGAE.

BIANORVS.

PAſcite gramẽ oues dum dulcem uiſo Neæra,
Paſcite, ſolus ego, ſolus per deuia rura,
pq; nemus pagro. Phæſtophile chare ſub um
Interea gaude, atq; uale. quum uenerit æſtus (bra
Noxius, & medium feriet ſol igneus axem,
Coge gregem ad fontes, ad glauci denſa ſalicti
Paſcua, diſcedo. quo me furor impulit? & quo
Nunc propero? linquuntur oues. Phæſtophilus illas
Non ducet. uiuit ſibi. uiuit, & ocia quærit,
Nec ſocij rem curat iners. diſcedite triſtes,
Triſtes ex animo curæ. ſed dulcis ab antro
Nunc meus exit amor. pereat pecus omne. Neæra
Cur non ex iſta uocitas me rupe? capilli
Impexi an ſordent? & duris obſita duris
Membra pilis? naſo an uideor deformis? & ora
Sima gero? placido me uidi in fonte, recordor
Nunc etiam. ipſe mihi totus me iudice, totus
Pulcher eram. dentes ſuperabant marmor, eburq;,
Et candore niuem. pendebant ordine flaui
Ex humero crines. decorabat barba figuram.
Vtq; anus edocuit, mihi ter, ne triſtis obeſſet
Vox formæ, & nocuo pallere lumine corpus
Inſpuit os gremium. cur pellor, dicite cauſam.

Vos rapidi fluctus/silices,uluæq; palustres.
Ecce fero in qualo tibi septem mala/nucumq;
Excusos fructus,syluestria pruna,racemum
Labruscæ/& lentas mora interfixa genistas.
Seruo gemelliperam niueo tibi uellere capram:
Quam si mulgebis bis una in luce refundet
Lac semper niueum,semper plena ubera tanges.
Accipe flexibili do serta intexta corymbo,
Et uiridi lauro,atq; apio.uis funus acerbum?
Adsum.desilio in fluctus,si precipis,huius
Amnis,& ante tuos oculos nunc mergor in undis.
Quo fugis o demens? cur hæc mea dona relinquis?
Respice/totus amo,totus male sanus aduror
Vt stipula in flammis,ut ceruus saucius ense
Quem siquitur per rura ferox uenator anhelo,
Et uagor in syluis.tu quernis lenta sub umbris
Dum torques filum tam pulchro pectore torques
Me miserum.O utinam fierem formica,uel albus
Papilio,uel apes tenui iam uoce susurrans
Istuc confugerem.amplexus,atq; oscula ferres
Grata mihi.cur uana loquor? complectere collum
Nympha meum.Tu dura silex.effundo per auras
Verba leues,mutos per fluctus,perq; sonantes
Suspiro cantes.rapitur labentibus undis
Quicquid ago.nullo pecus it custode per agros
Et mulgent alij mulgent.ego perditus erro.
Nosco quid sit amor,nosco.satus ille sub antris
Hyrcanis fuit/& sitiens bibit ubera toruæ

Tygridis·immiti me uexat uulnere.non sum
Sicut eram·non sum.crucior.iuuat ire sub orcum.
Non morior.me sæuus amor sub cortice seruat
Hoc fragili,& longum cogit pferre laborem.
Nympha ueni·solare graues in amore dolores.
Te sine nulla quies,sine te mihi nulla uoluptas/
Nullus honor,nullumq; decus·tu sola salutis
Causa meæ·nymphis o pulchrior omnibus.omni
Albior o uiola,o rutilis fulgentior astris/
Clarior o uitreis undis/o mollior albis/
Puniceisq; rosis.O fuluo charior auro/
Charior & gemmis·huc adsis/porrige dextram
Si placet.o placeat.mecum requiesce parumper.
Non ullæ aspirant auræ·tenet æthera currus
Solis adhuc medium·molli sedeamus in herba
Hic ubi stant densæ quercus:ubi prata nitescunt:
Et placidis ubi riuus aquis per gramina currit.
Non locus hic gratus? ueniam quocunq; iubebis.
Diua iube.ueniam·non audis talia,nanq;
Effugis,&nulla est tibi tanti cura furoris.
Sordet amor meus,& sordent mea munera,qualis
Sim nescis·ultro poscit,quæ respuis,Aegle.
Et capiet.nollem dare.nollem·cogor·amantem
Pellis iniqua tuum·quid feci? sydera cœli
Surda manent/nec nostra uident incommoda·nullus
Nullus in orbe deus·casu uoluuntur iniquo
Cuncta.sub ignotis quam uellem rupibus esse
Muta silex·ferrem non talia·magnus ab imo

Corde fluit calor,& penetrabilis ossa perurit.
Nescio quid faciam. uiridi proiectus in ulua
Hac sub fronde canam. me forsitan audiet,& me
Forsitan aspiciet. non duro pectora ferro
Cincta gerit. nec fronte minax, ut cerno, uidetur.
Armenta, atq; greges in lætis sedulus aruis
Pauit amor quondam, felicia tempora quo nunc
Præteriere? deam spaciantem in uallibus Idæ
Anchises flexit, flexit formosus Adonis,
Pastor uterq; fuit, pastor Priameius heros
Arsit in Oenone, pastor crinitus Apollo
Inter amadryadas sensit sub corde sagittas
Igniferas. quid Pana loquar? quid Prothea? quidue
Syluanum? Magnes ictus,& Sparthacus ictus
Passus acidalios. Lunæ succensus amore
Endymion gelidis errabat montibus ardens,
Hoc illi decus ingens, gloria magna. Melampus
Doctus erat uates,& amans,& pastor, eratq;
Pastor Aristæus, Faunus syluestris,& Argus,
In caluere tamen flammis,& amore, uagantes
Fas cuiquam tentare deas, tentare puellas
Tunc fuit humanas. o secula prisca, remissum
Cur non ad morem properantes ducitis horas?
Quisquis amat nunc fœda facit, quicunq; sorores
Fistulicen doctas exercet,& ore lepores
Suscitat Aonios, sacra polluit, utq; prophanus
Eijcitur templis. scelus horrens talia nosse.
Corda dolor pressat, caput & mihi torpet, abibo

Hinc celer, aspicio latitantem in sepibus anguem.

DAPHNIS ET LIBETRIVS.

Pulcher erat Daphnis, pulcher Libetrius, ambo
Prudentes, ambo dulces inflare cicutas,
Et dulces ambo uersus expromere, in unum
Ambo locum duxere greges, amboq; sedentes
Fronde sub arborea, paribusq; caloribus ambo
Ardentes. primus sic cœpit dicere Daphnis.
D. Infelix qui perdit oues, qui nauigat undas
Aequoris infelix, infelix debitor æris,
Qui cupit infelix, infelix quisquis oberrat,
Sed magis infelix sæuo qui paret amori.
L. Non tot habẽt syluæ frondes, tot sydera cœlum
Non tot fert uites Lesbos, tot Daunia fruges,
Non mare tot pisces alit, & tot terra uolucres,
Quot mihi iecit atrox flammas, & tela Cupido.
D. Serpentes sæui, sæuus lupus, ursaq; fœtu
Sæua suo, sitiens leo sæuus, uipera sæua,
Et Tygris sæua, & sæuus cocrodylus, at istis
Omnibus illa magis misero crudelis amanti.
L. Vos austri, & rupes, uos alti culmina montis,
Vos duræ quercus, uos frigida saxa, lacusq;,
Vos pluuiæ, & nubes, uos atri fulminis ignes
Audite hos questus, surda est mea Chlora, fugitq;
D. Difficile est humeris montem uectare, furentes
Difficile est palpare notos, & claudere latum

Difficile est urnis æquor. uolitare per auras
Difficile est. mea dãna magis mea dicere uersu.
L. In mare non fluuij current, non clara nitebunt
Sydera, non mitis summittet gramina tellus,
Non flabunt uenti, non cingent aera nubes,
Nõ morietur oues quũ flamma hæc flãma quie/
D. Deficient turres, & celsa palacia regũ, (scet
Deficient & templa deum/maris unda/leuisq;
Aer, & tellus/& pulchri machina cœli/
Sed non acer amor, non hæc mea cura, dolorq;.
L. Vomere suspenso lætus requiescit arator,
Et messor requiescit, oues tegit umbra, lacerti
In uiridi occultantur humo. sopor occupat artus
Chlora tuos. ego tristis agor per deuia rura.
D. Ille placet cantu, facie placet ille nitenti,
Ille ouibus felix/& cano uellere, & ille
Fiscellas texens, & qualos gratus, at ipse
Ipse meis lachrymis/& funere solor amores.
L. Flore leui pascuntur apes/ & rore cicadæ/
Limosoq; lacu ranæ, tenerisq; locustæ
Frondibus, & pisces humore/& gramine cerui/
Et me sæuus amor flammis/& uulnere pascit.
D. Nimbosam possum nubem siccare/cadentes
Et pluuias/riuosq; uagos, nigrasq; paludes/
Fontanos cursus/& magni fluminis undas.
Sed nõ hæc crebros dũ fundunt lumina fletus.
L. Mallem desertas sine fama/& nomine syluas
Incolere, & sterilem exercere ligonibus agrum

Ignota & fracto detrudi ad littora lembo
Naufragus, inuitii quam sic ardere fauilla.
D. Anguicomas credo furias, acherontaq; credo,
Credo premi, findiq; rotis Ixiona, credo
Tanteleam sortem, & discerpi uulture credo
Cor Tytij. maius, maius mihi uulnus adhæret.
L. Si quisquam insolitos quærit perferre labores,
Et uiuam rapidis animam diffundere uentis,
Et fictis ridere genis, & flere, patiq;
Mille neces, duro sic se summittat amori.
D. Nūc zephyrus spirat, nunc rident prata, canūtq;
Nunc pictæ uolucres, nūc gaudet frondibus ilex
Nunc pecus exultat, nunc plaudunt omnia, solus
Solus ego tristes, tristes effundo querelas.
L. Non me uentus atrox, non diræ grādinis ictus,
Non acies ferri, non fluminis unda, fretumq;,
Non morbi, cœliq; faces, non rixa, furorq;,
Chlora sed absumet miserum crudelis amantem
D. Me rigidæ deflent orni, frondosaq; tesqua,
Auxiliumq; ferunt uolucres, & saxa, uirentes
Se rami obliquant, & mota fronde queruntur.
Solum illa in syluis latet, & se condit in antro.
L. Hi taceant catuli, & rabido lupus ore capellas
Deuoret, & totos exurat syrius agros,
Sorbeat unda solum, fiat chaos, omnia turbet,
Corruat & cœlum, postquam sine luce pererro.
D. Rura silent, pecudesq; silent, silet aura, poliq;
Signa silent, uolucresq; silēt, silet æquor, & antra

Tuta silent, nubesq; silent, silet arbor, at ipse
Heu surdos scopulos, heu surdas alloquor undas.

L. *Ecce canit bubo in sylvis, canit ecce locusta*
In prato, philomela suos canit ecce dolores
In viridi segete, in dumis & acanthis, & umbra
Nos tecti arborea miseros deflemus amores.

D. *Dicite vos mutæ silices, vos montis opaci*
Umbræ, vos virides herbæ, vos littoris algæ,
Dicite vos sylvæ, vos valles dicite, rupes
Dicite vos versus, non audior, ite capellæ.

FINIS

PLoro meam Lydam. periit mea Lyda decora,
Et iacet in pheretro lyda decora, iacet.
Et mecũ Veneres, mecũ lachrymãtur amores,
Et Charites mecum triſtia fata gemunt.
Non ego purpureo poſthac uelabor amictu,
Nec geram in articulis aurea uincla meis.
Impexi ſtabunt crines, impexaq; barba.
Surge miſer, pullam tu tibi ſume togam.
Percute te palmis, & queſtubus æthera comple,
Omnibus & referas Lyda decora obiit.
Grata reportabo non amplius oſcula, circum
Circum ipſas obeunt oſcula noſtra genas.
Et mihi defunctæ ſunt grata hæc oſcula Lydæ,
Oſcula præbentem Lyda uidere nequit.
Oſculor, & gelidis pendens amplexibus uror,
Vror & in labris ſtans anima ægra perit.
Reſponde. uocis non audis uerba loquentis.
Reſponde. in tenebras hic meus ibit honor.
Crudeles parcæ, crudelia fata, lepores
Vna hora una omnes abſtulit una meos.
Nunc ubi diliciæ dulces? ubi dulcia dulci
Verba ſono? atq; ubi nunc nunc ubi dulcis amor?
Non loquens, dulces quæ clauſa eſt lingua loquelas
Detinet, & dulci riſus ab ore fugit.
Blandiciæ fluxere meæ uelut umbra, meuſq;
Nunc uacat, & rapto mœret amore torus.

Ornatus periere mei, non amplius opto
Delicias, procul hinc, hinc procul ite ioci.
Spargo arabum rorem, ros perditur omnis, & ipsam
Spargo rosam, tecum nunc rosa sparsa perit.
Seruo torum, quondam iste torus te Lyda tenebat,
Es pulchra in pulchro mortua Lyda toro.
Iam dormis, requiesce parum, non excita surgis,
Surge parum, dextram porrige, Lyda iaces.
Lyda iaces, miser, & iaceo miser, accipe serta,
Impono hæc capiti hæc ultima serta tuo.
Dona fero ingrato cineri, cinis omnia sumat
In cineres postquam sic meus ibit amor.
Surge parum, mea Lyda parum, da basia tantum
Quantum animam possunt nunc penetrare meã.
Sic tuus in tenues labetur spiritus auras,
Dulceq; de dulci nectar amore bibam.
Dum uiuam, uiuus seruabo hæc basia postquam
Me fugis, & Læthen non reditura petis.
Me fugis, & uacui properas ad littus auerni,
Ad dominos acres, ad sine luce domos.
Per fontes Nymphæ plorant, per prata Napeæ,
Per syluas Dryadum uox gemibunda sonat.
Et musæ querulos, querulos & Oreades addunt,
Addunt & querulos scrupea saxa modos.
Et mœrent silices, & mœrent tesqua, polusq;
Se tegit obscura nube, solumq; gemit.
Hæc hæc alba manus, manus hæc hæc pulchra, de-
Hæc facies, forma hæc forma iacebit humi? (cesq;

Lingua taces, nunquam depromes lingua camœnas,
Lingua taces, inopi cur mihi lingua taces?
Non tibi pendebunt flaui de fronte capilli,
Quos tango, & lachrymis nunc labefacto meis.
Has poterit niueas tumulus celare papillas?
Præstabant oculi sydera luce tui.
Nunc sine luce oculi, nec me, nec sydera cernunt.
Sydera sunt oculis sydera clausa meis.
Vociferant montes, respondet uocibus Echo.
Respondet perijt gratia, & orbis amor.
Cur moror infelix, nec tecum curro per umbras?
Nec tristes tecum ducor ad inferias?
Heu uiuo, & miseræ patior dispendia uitæ.
Non possum ad manes te mea uita sequi.
Anulus hic tecum, tecum hic tumuletur amictus,
Hic adamas tecum, tecum eat omne decus.
Postquam discedis, nec mecum gaudia restant,
Sit sine fruge solum, sit sine luce polus.
Sint diræ nubes, sit turbo, & grandinis horror,
Sint terræ motus, sint trucis arma necis.
Discedis, quæ uita mihi, quæ uita manebit
Te sine? curarum nostra medela iacet.
Dij superi immanes, cur hanc genuistis, ut esset
Sic desyderij cura, dolorq; mei?
Seu non mortalis, seu non tam pulchra fuisset.
Non pulchram hanc decuit non obijsse deam.
Sed quia sub cœlo quicquid nitet, interit. Heu he a
Debebat Pylij uiuere lustra senis.

Debebat. rapitur, rapitur florentibus annis.
  Florentes annos obruit atra dies.
Felices tumuli, felix Proserpina, felix
  Tu Pluto, uestra hæc gaudia uestra manent.
Infelix ego semper ero, semperq; refundam
  Hos gemitus, semper, semper & has lacbrymas.

DE VERO POETA:

Ocia amat uates, & tecto gaudet, & umbra,
  Vt Cycnus tepidi tempora ueris amat.
Effugit a turba immiti, dulcesq; recessus
  Poscit, & Aonios excitat ore sonos.
Plectra mouet, grati perquirit flabra fauoni,
  In uiridi flores carpere gestit humo.
Fontanas non spernit aquas, scopulosa nec antra,
  Nec fugit undisoni littora grata maris.
Cincta soporifero lætus pomaria riuo
  Cernere, lanigeras cernere lætus oues.
Fortunæ imperium, & uanæ miracula plæbis,
  Ridet, & insanas sub pede calcat opes.
Regna quoq;, & reges naso suspendit, & illa
  Quæ fulgent mersa in puluere dicit, erunt.
Non audit strepitus, sed figit in auribus omne
  Quod dulce est, oculis pulchra, & honesta trahit.
Non ligat articulos, aut fuluo colla metallo,
  Non tumet, aut uana corpora ueste tegit.
Luxuriam uitat, uitat uaga murmura uulgi,

Et nescit quicquid lingua prophana refert.
Naturæ donis, & uero intentus amori
Viuere scit, quæ sunt cælica dona, uidet.
Ex imis gaudet fibris, & temnit honorem
Quem solet insulso tradere turba choro.
Formicis homines, & muscis comparat atris.
Et nidos uolucrum regia tecta uocat.
Non tristes nebulas, non diri tela cometæ
Horret, & urentem spicea dona canem.
Impauidus stat semper, abit quocunq; galero
Mercurij tectus non pauet arma Iouis.
Non sua supponit sceleratæ obnoxia culpæ
Pectora, ut Alcides alter in orbe uiget
In lapide ante domum sedet imperterritus apto
Palladis, atq; ferox ægide monstra domat.
Scit Phœbum, & phœbi candentia signa sororis,
Et quantum æqua suis uiribus astra ualent.
Scit cœli motus, & fati conscius alti
Non quærit sortis scire futura suæ.
Scit bene mutari uario sub tempore leges,
Et fieri a prauis regibus usq; truces.
Scit morbi causas, sinuosi & corporis atros
Secessus, medicæ deserit artis opus.
Corrigere est quodcunq; nephas. præmordet aceto,
Miscet & urbanis scommata salsa iocis.
In fora conductus leges obseruat, & ipsis
De superis quæ sunt religiosa refert.
Non dicendo furit, sed cedit sæpe furenti,

Qui ſapit hic cedit, qui furit, ille rudis.
Sors quæcunq; dedit fert æquo pectore, uerus
Protheus in cunctis rebus adeſſe ſolet.
In præſens hilaris non differt gaudia, mente
Ille hilaris pulſa nube ſerena colit.
Iure igitur ſacra ſit dignus uoce poeta,
Vt deus humano in corpore numen habet.
Nanq; uidens hominum mortalia cuncta perire
Se trahit a tenebris carmine, & uſq; nitet.
Qualiacunq; uides gemino producta ſub axe
Conteret hora, procul de ſtyge carmen erit.

DE PARTHENOPE.

Diceris extructa a dulci Sirene, Phaleri
Diceris & felix imperitantis honor.
Diceris & Veneris gratiſſimus hortus, & acris
Alcidis campus diceris eſſe nouus.
Diceris & flauæ Cereris mitiſſima tellus,
Diceris intonſi uinea pulchra dei.
Non mirum, ipſa urbes ſuperas dulcedine cunctas
Imperio, forma, robore, fruge, mero.

DE EADEM.



Fons, mare, ſylua, lacus, mons, horti, balnea, campi,
Flumina ſunt uno hæc nomine Parthenope.

FINIS.

PARTHENOPAE. M.D.XX. MEN-
SE FEB. GENIO HILARITA-
TIS DEO ET MVSIS FA-
VENTIB.



